



11.

Programm
des
Gymnasiums der Stadt Pyritz,
womit
zu der öffentlichen Prüfung am 7. April
ergeben ist einladet

Dr. Adolf Zinzow,
Director.

Inhalt:

1. De Pomeranorum regione et gente auctore M. Petro Chelopoeo Pyricensi a. 1574. Pars II.
 2. Schulnachrichten. Beides vom Director.
-

Pyritz, 1870.
Druck von E. Giese.

Quintum caput.

De rebus gestis Ducum Pomeranorum.

Etsi de rebus gestis Pomeranorum parum extat, eorum enim praeclera gesta et egregia facinora scriptorum penuria vel temporum iniuria perierunt, tamen praecipue acrem fuisse gentem et mavortiam res ipsa testatur; gesserunt enim bella multa et difficilia etiam ante natum Christum cum finitimiis et aliis nec duellum peragere veriti sunt.¹⁾ Nam cum Roricus, Daniae rex, Wandalos bello navalii lacesseret, ad duellum a Masca Wandalum provocatus est, ut uter eorum superesset sine clade multoque sanguine utriusque regno praecesset. Sed Masca superat et obtruncat Roricum. Dani vero non steterunt promissis et fide accepta hoc et illud causantes aliud postulaverunt duellum. Ac Mascae opponitur Uffo, qui fuit ingenio crasso et corporis mole insigniter magnus. Sed ambo mutuis vulneribus perierunt. Hoc paracto duello res composita est. Postea tamen inter Frotonem, Daniae regem, et Stringum (v. potius Strunconem), Pomeraniae regem, oritur bellum propter incursiones ab utrisque factas. Froto cum tota expeditione devicit Stringum et subegit maritimam Wandalorum oram. Ac ita in his regionibus aliquamdiu pax constitit circa annum, quo Christus incarnatus venit in hunc mundum. Sed annis aliquot interiectis Wandali impatientes Danorum imperii cum se aliquantulum recollegissent, Wisnam, puellam regii stemmatis, reginam declarant eique duos capitaneos, Duck et Daal, attribuunt. Primum navalii proelio se adornant et Danos in fugam vertunt. Wisna regina, cum ea esset acerrimi animi et singularis probitatis virgo, in Dianam traiecit, ubi ab utriusque partis nobilitate de pace agitur, ut Pomerani essent liberi et sui iuris, foedere tamen coniuncti Danis, ita ut pacis ac belli participes essent.²⁾

Rugia insula, quae olim fuit, ut ostendimus, caput Wandaliae, aliquamdiu gubernata est a capitaneis et summis eorum sacerdotibus. Sed propter horum intestinam discordiam constiuerunt Flactitem regem, qui Rugianorum potentiam valde auxit et totum orientis mare subegit, temporibus Valentiniani Antonini (i.e. Primi), qui militum omnium consensu Imperator creatus est a. 368 (?). Post haec mortuo Theodosio Imperatore a. 399 (?) et relictis filiis infantibus Arcadio et Honorio, iis constituti sunt imperatores duo, Ruffinus et Stillico. Sed alter eorum parum fidus in dominum extitit. Nam Ruffinus, qui natione Gallus erat, extimulavit Gothos in Arcadium et ea occasione traducere ad se imperium conatus est. Radgastus, Gothorum rex, ducenta millia Gothorum adversus Stilliconem in Italiam duxit circiter annum Christi 405. Flactites vero relicto fratre Suba in Rugia opem tulit Stilliconi, ac ita eius auxilio caesus est Ruffinus.

¹⁾ Sunt fere verba Lagi p. 12.

²⁾ Quae vetustissima hic fertur Pomeranorum historia, maxime, si locum quandam Matthaei ex Polonorum chronicis desumptum cf. Barthold I. 197 adiunxeris, fabulis, quas Saxo Grammaticus e priscis Danorum et Normannorum carminibus de proelio illo Bravallensi all. compositis collegit et concinnavit, suo iure debetur. Ita quae Saxo VIII. p. 378 sqq. de Wisna, Haraldi regis viragine aquilifera, cui in proelio Dal (Dagr enn digni) et Duc (Vindverskr) cum Slavorum manu ad sunt, brevius narrat, ea Krantzus in Wandalia p. 11 et Kantzovius, cuius vestigia Chel. premit, in Pomerania p. 16 sqq. multis fabulose additis fusius repetunt.

Caesis autem Gothis, qui magna et formidabili manu in Italiam ingressi fuerant, illic discessit Flactites et circa Danubium cum Rugianis sedem fixit. Mortuo Flactite successit ei Feldhoff filius, qui nulla gessit bella, nisi quod subinde cum reliquis Wandalis Rugianos in Galliam et Hispaniam transmiserit. Eo mortuo absque liberis masculis Suba, filius Subae, fratris Flactitis, duxit eius relictam in uxorem atque sic coniuncta sunt haec duo Rugianorum regna. Suba iunior cum Attila, Hunnorum rege, adversus Romanos profectus est sub Valentiniano III. Imperatore. Hic autem Suba duos habuit filios, Huneloff et Othacarum, qui missi sunt in Italiam, ut disciplinam militarem discerent. Huneloff statim obiit, Othacarus autem diu ibi commoratus est et sub Augustulo multis bellis et praeliis interfuit. Quare propter eius ingenium et in rebus agendis dexteritatem a senatu populoque Romano in Capitolium ductus et totius imperii Italici Imperator creatus est, ac regnavit annos duodecim. Dum haec geruntur, Rugiani deficiunt ab Othacaro ac Herulis, qui nunc sunt Megapolenses, inferunt bellum. Othacarus igitur arma capit adversus Feldhoff, quem sibi Gisa regina, mater Othacari, mortuo marito Suba adiunxerat, estque atrox inter eos commissum proelium, in quo multi ab utraque parte desiderati sunt, ac ipse Feldhoff in eodem conflictu periit. Revertens in Italiam Othacarus secum eo duxit Rugianos. Concessit autem Longobardis circa Albim eas sedes, quas Rugiani habuerant. Ipsilon etiam ex iis locis postea discedentibus Heruli eas occuparunt sedes. Ac tum ita prorsus ex iis locis sublatum est nomen Rugianorum. Othacarus autem in Italia optime regnavit multasque urbes devastatas restauravit et urbem Romam plurimis aedificiis ornavit. Ac voluit eam a suo nomine Othacariam vocari, sed Zeno, orientalis Caesar, odio et invidia excitatus misit in Italiam adversus Othacarum Dietrichum cognomento de Berna. At cum eum armis superare non posset Dietrichus, constituta est inter eos pax circiter annum 476, ut pariter regnarent. Tandem vero Othacarus perfidiose a Dietricho in convivio specie amicitiae circumventus et occisus est. Manserunt tum Rugiani et Heruli sub Dietricho in Italia, sed habuerunt suos Principes ex stemmate Othacari natos.³⁾ De Rugianorum rebus postea gestis in Italia nihil amplius apud historicos legitur.

Michael Ritius in vita Caroli M. de debellatis Wilsis scribit: Carolum debellatis Saxonibus etiam Rugianos et Wandalos tributarios fecisse, idem cum Danis in animo habuisse, sed Godfridus, Danorum rex, magno exercitu contracto bellum indixit Carolo, Holsatiam et totam Frieslandiam occupavit. Inde ad Wandalos, Marchitas, Pomeranos, Rugianos et Megapolenses iter flectens omnes superavit. Carolus cupiens haec ulcisci magnam expeditionem contra Godfridum parat, sed interim Godfridus obiit et suffectus est Henningus, qui pacem petuit a Carolo omniaque restituit.⁴⁾

Barnimus, Dux Pomeraniae, Wandaliae et Cassubiae, militavit Henrico I. Caesari ac fuit una cum Bitislao, Duce Bohemiae, Wartislao, Duce Silesiae, Boleslao, Marchione Moraviae, Ottone, Principe et Comite Ascaniae, Mestebino, Principe Wandaliae in Mechelburgo et Brandenburgo, Ottone, Marchione Stadensi, et aliis quam plurimis Principibus et Dominis in pugna, quae ante Mersburgum commissa est anno 933. Fuit et Barnimus in primis tor-

³⁾ Primum paucis e Lagi libello p. 13 cum erroribus transcriptis Chel. iam Kantzovii Pomer. p. 26 sqq. sequitur, qui non sine temeritate quadem maxime Eugippii vita S. Severini, Noricorum apostoli, usus continuum Rugiorum imperium inde a mari baltico usque ad Danubium et Italiam latissime patens sibi et posteris scriptoribus finxit et illustravit; cf. Barthold. I p. 139 sqq.

⁴⁾ M. Ritium, qui ab initio XVI. sacculi Neapoli ortus Parisiis tres libros de regibus Galliae scripsit, etiam Kantzovius secutus videtur. Sed copiosius et rectius Einhardus in vita Caroli M. c. 12 et 14, in annalibus sub a. 789, 798, 804, 808, 810 res narrat, quo auctore Godofredus Frieslandiam quidem et Thrascone duce per fraudem occiso Abodritas expugnavit, non vero alias gentes proxime habitantes subegit.

neamentis Henrici I. a. 935. Sub hoe autem Henrico, qui auceps ideo dictus, quod in venatione et aucupio repertus, cum rex salutaretur, inventi sunt ludi illi equestris et militares, quos vulgo Torneamentum vocant, in quibus adulteria, blasphemiae, latrocinia et alia scelera nobilium publice et magna eorum confusione sunt correcta.⁵⁾

Fuit et sub Ottone I. Caesare Wartislaus, Dux Pomeraniae et Stettini, haud dubie filius aut agnatus Barnimi, cuius filiam Geiselam duxit Benno, primus in sua familia Elector Saxonie, quem alii Bernhardum, alii Billingum vocant.⁶⁾

Ottonis I. temporibus in hac maritima Wandalia (ut testantur historici) latissime dominabatur illustris Princeps Bilug, cuius ditionis latissimi termini a Wisla fluvio, quem veteres Vistulam vocant, per maritimos tractus pervenerunt, in vicina Cimbrorum, hoc est Iutiae, in veterem urbem, quam Wandali sua lingua Starigard, Saxones vocarunt Aldenburum, in qua omni ditione olim floruerunt urbes Wineta, Rethre, Iulinum, Starigard, Wolgastum, Demin, Havelburg, Kustin, Melchow, Kissin, Rabel, Mekelinburg, Mersburg, Aldenburg: nunc rustica oppida, tunc civiliter institutae civitates. Mortuus est Bilug a. Christi 980 et filios reliquit Mizisla, Naccon, Sederech, quibus partibus est ditionem.⁷⁾

Conradus II. Caesar non tulit insolentiam Wandalorum a Christo et imperio deficiens, quo factum est, ut Winulos frequentibus bellis attereret. Verum tamen christiana religio et cultus domus Dei parvum tum recepit per arma incrementum praepediente avaritia Ducas Saxonum tributis immaniter inhiantis. Principes Wandalorum tum fuerant filii Mestivoi, qui deficiens moriendo ad a. 1025 successores reliquit filios, quorum nomina Anatrog, Gneus et Udo, male christianus, unde etiam pro crudelitate sua a quodam Saxonum transfuga improvise confossus est.⁸⁾

Otto I. Caesar Heraldum, Daniae regem, qui Wollinum et alias Pomeraniae civitates occuparat, superavit et ad baptisma suscipiendum coegit.

Bolislaus, Poloniae Dux, (quem Otto III. Imperator a. Christi 1001, cum limina Adelberti, Episcopi Pragensis a Prutenis propter Christum occisi, visitaret, in regem Poloniae inungi iussit et deductum supra maiestatis sedem coronavit atque a sua suorumque successorum Rom. Imperatorum obedientia posterisque eius reges perpetuo absolvit) magna et victoriosa bella contra Bohemos, Russios, Brandenburgenses, Pomeranos et Cassubios gessit. Prutenis bellum indixit et ad tributa pendenda coegit. Eo vero mortuo electus est in Regem filius eius Miesko sive Mitzlaus, qui inertissimus ad gubernationem erat. Quare ab hoc externe nationes per patrem subiugatae defecerunt.⁹⁾

Huius autem Ottonis III. temporibus, ut et illud obiter adiiciam, nondum fuerunt Principes, Electores, penes quos nunc auctoritas est constitueri Caesarem. Scriptum enim reperitur, institutionem Principum Electorum ab Ottone III. cum summo Pontifice Gregorio

⁵⁾ Primus nescio an Muensterus in Cosm. Pomeranorum principes proelio Merseburgensi interfuisse vulgaverit: scilicet vel nomina eorum in vetere quodam libro torneamentorum saxonice conscripto, quem Georgius Ruexner in „doctis impostoribus“ habitus de industria igne deletum multis nominibus et genealogiis falso auctum restituit, postea adscripta legabantur. Isto ex impuro fonte Kantzovius p. 43, Chel. alii sua hauserunt. Cf. Hering. histor. 2 eccles. Stett. p. 5, Micrael. II. p. 117.

⁶⁾ Krantz. Saxon. IV, 20.

⁷⁾ Quae hic Ch. affert, pauculis omissis ex Krantz. Wand. II, 40, qui sua ex Adam. Brem. II, 24 et Helmold. II, 13 et 15 desumpsit, ad verbum fere transcripta sunt.

⁸⁾ Etiam haec verba omnibus aliis neglectis e Kr. Wand. II, 46 cf. Adam. II, 54 et 69, qui pro Udone Ratiborum dicit, mutuatus est; sed in sequentibus ordine rerum et temporum mire confuso subito ad Ottонem I. relabitur.

⁹⁾ Cf. Kr. Wand. II, 36 et Martinum Gallum p. 41.

sancitam esse anno Christi 1002. Ea auctoritas constituendi Roman. Caesarem delegata est tribus Germaniae antistitibus ecclesiasticis, Principibus Moguntino, qui Germaniae, Agrippensi, qui Italiae, et Trevirensi, qui Galliae rebus præcesset. His additi sunt quatuor seculares, Princeps Bohemiae (nam tum Regem Bohemia non habebat), Comes Palatinus Rheni, Dux Saxonie et Marchio Brandenburgensis. Henricus II., qui primus Electorum Principum suffragiis designatus est Caesar, Bohemios et Wandalos bello fatigatos tributarios sibi fecit subditos.

Svantiborus gentilis, ex cuius stemmatis linea sunt Pomeraniae Duces adhuc hodie regnantes, magnitudine rerum præclare gestarum adversus Danos et Polonos memoriam maiorum plurimum illustravit. Ac cum ulterior Pomerania a Polonis deficeret et Svantiborum tanquam dominum agnosceret, Wladislaus, Poloniae rex, parat bellum et committit proelium eum Pomeranis et Borussis apud Ritzow fluvium multis ab ultraque desideratis parte, pluribus tamen Pomeranis quam Polonis. Sequenti anno redit Polonus et obsedit Pomeranos in arce Nakel. Ibi eruptione facta illi ignem in castra coniiciunt, Polonus profligant et quam plurimos in fuga interficiunt.

Ab hoc autem Svantiboro initium sumam eiusque posteritatis res gestas breviter describam. Obiit hic Svantiborus circa annum 1107 relinquens filios quatuor, Wartislaum, Ratiborum, Bugislaum et Svantepolcum, qui has regiones in duas divisorunt partes. Wartislae et Ratiboro cessit terra Loitzium, Groswinum et quicquid est ultra aut inter Panum fluvium, utpote Demin, Wolgastum, Usedom, Ukermarkia, cis et ultra Oderam usque ad Parsantum fluvium et Gollenbergum. Bugislaus autem et Svantepolcus tenuerunt ulteriore Pomeraniam, Cassubiam et quicquid erat inter Coslinum et Gollenbergum, item ultra citraque Vistulam fluvium, quem tractum Pomerellam vocarunt illudque nomen in hodiernum diem retinet. Slavina, filia Svantibori, nupsit Critoni, Tyranno seu Principi Rugiae.¹⁰⁾ — — —

De Bugislao XI.

Supra dictum est, Ericum vitandi periculi causa coniugem cum filiis Rugenwaldium misisse. Quae etsi ibi per aliquot annos mansit, tamen Ericus illuc raro venit. Itaque inter eos ingens dissidium et suspicio orta est. Tandem scribit ad eam, ut Wolgastum veniat. Ad haec respondet, se id facturam, modo prius ad se Rugenwaldium veniat, quod facere Ericus noluit. Qua quidem re animi eorum ita distracti sunt, ut postea non convenerint. Ex qua simultate neglectus mutuorum liberorum secutus est. Moerore igitur confectus Ericus moritur a. 1474 in arce Wolgastensi et sepelitur Eldenovii. Ducissa cognita Erici morte agnoscit erratum et veretur, ne filii iustas ab ea sumant poenas. Reliquit Ericus filios tres¹¹⁾, Casi-

¹⁰⁾ Quid de hoc Swantiboro eiusque progenie certius statuendum sit, ex chronicis Polonorum difficile est diiudicatum. Martino Gallo p. 193, quem copiosius Dlugosc I. p. 356 illustrat, auctore Swantobor, Boleslai consanguineus, ut videtur, Dux Pomeraniae, cum ab adversariis regno privatus in vincula coniectus esset, a Pomeranis, qui novum bellum ita evitarent, liberatus est et postea iam Polonis consociatus in regnum restitutur. Ab eo, quem ab alio quodam Duce Pomeranorum Colbergae tunc praefecto non diversum ferunt, per filios Svantepolcum et Bugislaum alli scriptores omnes ulterioris Pomeraniae duces, alli per Wartislaum et Ratiborum filios cum Slavina sorore ei additos etiam citerioris Pomeraniae Duces artificiosius quam verius repetunt. —

Cum vero hac occasione chronicus Pyricensis edendi abuti non liceat, non omnia, quae Chelopoeus Kantzovium fere secutus de sequentibus Pomeranorum Ducibus brevius et ieunius narrat, hoc loco repetemus, sed extremam tantum et copiosiorem eius narrationis partem hic subiungere satis habemus.

¹¹⁾ Ut Kantzovius, quem in sequentibus Chel. fere sequitur, tertium addit filium Wartislaum, de quo Barthold. IV., 1 p. 362 dubitat.

mirum VII., Wartislaum XIV. et Bugislaum XI., et filias quinque, Sophiam, Margaretham, Catharinam, Elisabetham et Mariam. Wartislaus, qui paulo post mortem patris mortuus, Wolgasti erat apud patrem; Casimirus vero et Bugislaus erant Rugenwaldii apud matrem. Moritur etiam paulo post Casimirus. Res veneni suspicione non caret. Sunt et Bugislae structae insidiae, sed is cautior fratre vitavit periculum.

Non procul ab urbe Rugenwaldiana fuit quidam rusticus dives, cui nomen erat Iohannes Lange. Is cum magnopere delectaretur Bugislae, saepe venit in urbem. Huius consilio et instinctu impetrat a matre, ut sub eius potestatem veniat. Agnoscit igitur Bugislaus tanquam Dominum datque ei in tanto ipsis neglectu vestes, equum,ensem, oreas et calcearia. Quibus consecutis longe animosior est factus. Suasor etiam Bugislae extitit, ut ad Wartislaum, patrum suum, deliberandi causa Wolgastum se conferret. Ipse etiam rusticus ad finitimos nobiles profectus est eisque hortator fuit, ut eum deducerent. Venit igitur Wolgastum trecentis equis accinctus. Wartislaus re cognita suadet, ut a matre administrationem auferat eamque detineat captivam, donec de his omnibus diligentius deliberari possit. Sed mater his cognitis ante redditum aufugit seque Gedanum seu Dantiscum ablatis secum gazis confert. Bugislaus vero multis beneficiis affecit rusticum Iohannem Langen eumque, cum nihil magis peteret, omnibus oneribus et tributis liberum fecit.

Non longo temporis intervallo post Bugislaus convocat ordines et civitates, qui se in eius fidem datus ultro promittunt. Et quocunque locorum venit, liberalissime tractatus maximisque omnium gratulationibus exceptus est. Nam in eo omnis spes totius Pomeraniae sita erat, praesertim cum Wartislaus masculos heredes haberet null s. Ac tametsi Magdalena, Ulrici Ducis Megapolensis filiam, in matrimonium ducturus, tamen de eo, quod senio confectus erat, prolis spes erat dubia.

Albertus Marchio ubi accepit ordines et civitates homagium praestitisse Bugislae, priorem cum eo actionem renovat et postulat, ut feudum a se petat. Sed reluctatur ei Bugislaus ac ait Ericum patrem iniuste ad id coactum esse, quare se pati posse, ut iure et legibus lis disceptetur. Albertus Marchio nec iuris ordinem sequi nec legibus certare voluit, sed ingentibus copiis accinctus venit in Ducatum Stettinensem et in finibus circa Stargardiam et Pyritiam vastat omnia a. 1478. Bugislaus autem collectis statim sexcentis equitibus et mille peditibus Pyritiam venit, ut illud oppidum praesidio muniat et contra Marchionem defendat. Marchio his auditis Pyritiam obsidet circumcirca, eiusque consilium fuisse tradunt, Ducem opprimere et bello finem imponere. Itaque oppidum invadit et graviter oppugnat, sed non sine magno suo detimento ac damno.

Verebantur autem Pomerani, qui intra moenia Pyritianae urbis continebantur, non sic munitum esse oppidum, ut in eo Bugislaus tutus esse posset. Communicato igitur consilio iudicant omnes eum abducendum esse, ac visum est eis, ut ex insperato aggrediantur hostem et interea Bugislaus et eius adiuncti per occasionem proelii evadant. Sed hoc ad Marchionem per speculatorum, quos in urbe habuisse dicitur, perlatum fuit. Quare eo loco, quo aggressuri sunt Pomerani, firmiores excubias constituit Marchio ac ipse quoque se parat, ut Pomeranos excipiat. Egressis ex urbe Pomeranis, magnis animis invadunt hostes eosque fugant et fundunt. Sed id conspicatus Marchio illico laborantibus suis auxilio venit multosque ex Pomeranis caedit nec eos penetrare passus est. Quare Bugislaus et Pomerani repulsi in urbem se referunt, sed de muris et turribus tantopere sagittis et tormentis fulminant in Marchionem, ut ad urbem accedere eosque insequi ausus non fuerit. Orta iam luce postera, immisso tamen prius igne, tormentis oppidum acriter oppugnat, postea militem immittit.

Sed iis saepe repulsis in expugnanda urbe Pyritiana nihil promovit. Ac eum Pomerani adhuc viderent difficulter oppidum retineri posse, cogitant, qua ratione Bugislaum abducant. Erat autem ibi nobilis quidam in ea vicinia ex familia Kussoviorum oriundus. Is, cum ei omnia huius loci essent notissima, iniit rationem abducendi Bugislaum eumque per piscinam ad monasterium sitam et inde magno cum labore et disserimine vitae per paludem, quae a fluvio Planow nomen habet, duxit, ut ita evaderet. Congregant illico Wartislaus et Bugislaus exercitum ad solvendam Pyritiae obsidionem; sed Marchio his cognitis movit castra nec adventantes copias expectavit. Marchionem autem insecessus est Bugislaus in Novam Marchiam eamque passim devastavit. Cepit et evertit tum oppidum Bernstein illudque possedit.

Ac cum in omnia se converteret Marchio, de pace intercedunt Duces Megapolenses et factis induciis Prentzlovii constituunt pacem his condicionibus, ut, quid quisque suis finibus adiecisset, teneat, captivi absque muleta dimittantur; Bugislaus despondeatur Margaretha, Friederici Marchionis filia; Bugislaus et ordines et civitates Marchionem satis caveant de successione, ut, si deficiat semen virile Ducum Pomeraniae, perveniat tum Pomerania ad Marchionem, Electorem Brandenburgicum, ita tamen, ut Pomerani pristinam suam retineant libertatem et iura. Haec omnia Albertus Marchio et Bugislaus stipulata manu confirmarunt. Ac cum ambo iungerent dextras, Marchio inquit: Lieber Ohm, hiemit verlihe ich euch Land und Leute. Ad haec mox respondet Bugislaus: Nequaquam, Marchio, haec ita inter nos non sunt acta, subiiciens: Da sollten ehe drey sieben Teuffel durchfahren, hac enim maledicendi forma usus est. Percitus igitur ira in Marchionem re infecta discedit et celeriter contendit ad Wartislaum, qui tum erat Pasewalci, ut eius consilio, si opus foret, uti posset. Placuit autem Wartislaou rem compositam non esse. Natura enim non admodum bene erat affectus erga Marchiones. Suasor igitur extitit Bugislaus, ne pacem faceret cum eo, cum quo frustra pax constitueretur, haec addens, quod si Bugislaus finitima loca adversus hostium multitudinem praemuniret, etiamsi Marchio aliquid damni daret et fines incursionibus vexaret, totam tamen Pomeraniam expugnari non posse; pluris etiam constitisse bella, quam ei commoda inde accessisse. Quare eum ultro tandem a proposito destitutum existimavit. Dum de rebus propositis ita deliberatur, Magnus et Balthasar, Duces Megapolenses, subsequuntur Pasewalcum et conantur persuadere Bugislaus, ut Prentzlovium revertatur. Sed is omnem detrectat actionem. Ad haec Duces Megapolenses, cum antea propositas pacis conditiones et capita approbarit, cur et nunc eas non recipiat? cogitet quanto in periculo versetur, consideret etiam totam Pomeranorum stirpem in eo solo existere; non det igitur occasionem belli, sed sibi ipsi suisque hac in re consulat. Wartislaus vero ait: Faciat Bugislaus, quiequid lubet, sed si suo uti vellet consilio, sive gerat bellum, sive faciat pacem cum Marchione, nequaquam duceret Marchionissam. Ob hanc igitur causam recusavit redire Prentzlovium. Sed Duces Megapolenses nihilominus urgent institutum et orant plurimum, donec eum reducunt. Ac cum ad Marchionem veniret, per risum inquit Marchio: Herr Ohm, ihr habt einen hitzigen Kopf, ihr laßt euch balde irren. Ad haec Bugislaus: Ja, Herr Ohm, ich bin so gut nicht zu schlechten. Res autem per Duces Megapolenses superioribus condicionibus transacta est. Atque ita in his regionibus arma conquievunt. Bugislaus etiam in uxorem duxit Margaretham, Friederici Marchionis filiam.

Fama diu volitavit, ita rem esse compositam, ut Duces Pomeraniae pro Stettino feudum recognoscerent de manu Marchionis. Pervenit etiam ea fama ad Regis Romani curiam. Quare Bugislai Ducis legati, qui tum in Regis curia versabantur, male inde audiebant, quod Dominus eorum se Principi citra regem subiecisset. Nam ob id Imperii Romani Princeps iure non censendus. Eam rem cum ad suum Principem retulissent, motus indignitate rei impe-

travit a Rege Commissarium Episcopum Lubecensem, qui testes factae compositionis ad perpetuam rei memoriam audiret. Testes citabantur, in primis Magnus, Dux Megapolensis, multi milites et militares evocati aderant, qui compositioni interfuerant. Sed repertum est, nihil de feudo innovatum. Tantum hoc in forma reprehensum, ut Duces meliora de Marchionibus sentirent et Marchiones pro viribus curarent Duces Stettinenses.

Garcium, clavis terrae, ereptum fuit Pomeranis, ut diximus. Quod cum Wartislaus graviter ferret, recuperandi occasionem sibi optabat dari, sed nulla offerebatur, nam armis petere non potuit, quod firmum in eo praesidium imposuerat Marchio. Quare mandat nobilibus eius loci simulque Stettinensibus et Stargardensibus, ut rationem ineant, quo modo recuperari possit. Obtulit autem se tandem haec occasio: Wernerus Schulenborgicus, cui Marchio commiserat Garcium, habebat ibi equitatum, quo nobilitatem Stettinensem invaderet et ad dandum frumentum aliaque necessaria cogeret. Huic natus est filius, quem baptisari constituit a. 1474 Dominica Misericordias, ad quem actum multos invitavit compates omniaque splendide apparari iussit. Et quia indigebat avena, mittit ad nobilitatem Ducatus Stettinensis, ut avenam ante iam dictum diem adferant. Inter ceteros nobiles erat quidam Bartholomaeus Brusenhaberus, qui cis Oderam bona sua habebat eique avenam debebat. Ad quem cum Schulenborgicus mitteret servum, promittit se daturum avenam atque servum tractat lautissime. Tandem vero Brusenhaberus quaerit, num missio avenae in diem proxime sequentem differri possit, nam eo die sibi negocium esse, quod Stettini conficiat, quare avenam tum allaturus, ne hospitibus ea desit, et illinc se Stettinum conferat. Respondet servus: posse cum eo haberi patientiam usque in memoratum diem seque effecturum, ut bene mane per telonium ei transitus pateat. Sed promissis ut stet, etiam atque etiam Brusenhaberus orat. Quod tandem stipulata manu se facturum confirmat. Praesidium teloneo erat impositum, huic mandat servus, ut Brusenhaberum die lunae post Misericordias intromittant. Quo impetrato persuasum sibi habet, optimam occasionem recuperandi Garcium oblatam esse. Sed interea omnem rem Wartislae, similiter Stettinensibus et Stargardensibus detegit et orat, ut Wartislaus terra et civitates navi constituto die valde mane non procul a Garcio praesto sint, nam ibi, si res pro voto succedat, se tum significaturum, quid facto opus sit. Vocat etiam ad se nobiles, quorum fides erat cognita, et petit, ut media nocte instructi armis ad se veniant et omnia tacite agant. Ac ita octo praeparat currus, quibus imponit armatos, eosque stramine et foeno circumdat, ne conspici possint, superimpositis saccis decurtato stramine repletis. Omniaque ita erant praeparata, ac si octo vehes avenae fuissent. Vestit etiam pro more rusticorum iuvenes aliquot nobiles, qui aurigae essent, curribus appensis cuspidibus et ensibus. Proficiscitur hoc modo Garcium media nocte. Cum autem per aggerem veniret ad teloneum, acclamat. Sed milites somno vinoque sepulti difficulter tandem prodeunt et quaerunt, quis sit et quid velit. Brusenhaberus voce agnitus; transire ei permittitur, ultimum vero currum relinquit in ponte. Accurrunt tunc Brusenhaberus et eius pedites cum cuspidibus et invadunt milites eosque de ponte deiiciunt in aquam. Interficiunt etiam eos, qui turrim ascendere properabant, ut signum darent, hostem adesse. Relinquit ibi Brusenhaberus unum atque alterum e sociis, ut, si res non succederet, aufugere possint. Procedit igitur, et cum ad urbem proprius veniunt, adest ibi faber lignarius, qui aliquam pontis partem submoverat, ut eam emendaret atque resarciret. Quod cum videret, obstupuit et veritus est, ne res pateficeret. Orat autem fabrum, ut asseres reponat, donec transire possit, nam se munuscum satis amplum ei daturum promittit. Sed id difficulter impetrat, atque ita procedit et occupat civitatis portam. Postulante fabro munuscum, sicut convenerant, adsunt pedites

prosiliuntque nobiles e curribus et interficiunt fabrum eumque cum sociis proiiciunt in Oderam. Adsunt etiam Stettinenses et Stargardenses, qui navi advenerant, eos tum vocat e navibus, in quibus latebant, mattis contextos. Hi illico prosiliunt et occupant portam et plateas. Ac cum animadverterent, cives adhuc dormire, relieto praesidio in porta per oppidum se conferunt ad aliam portam, quae a Stettino nomen habet, eamque vi aperiunt et Wartislaum, Ducem Pomeraniae, qui magna manu praesto erat, intromittunt. Currentibus deinde Pomeranis per civitatem, occupant forum et coemiterium atque portas. Deinde tamen refractis prius portis arcem occupant, statim ibidem et passim in plateis clamitant: Stettinum, euge Stettinum. Hoc clamore facto Schulenborgicus adhuc erat in lecto; hesterno enim die strenue cum hospitibus suis biberat. Sed illico prosiliens: Proh dolor, inquit, nimis diu dormitatum est! et arreptis vestibus et armis ad portam Vierradensem cum ministris currit per aditum, quem in eum eventum fecerat; inde emissis tormentis sese defendit. Wartislaus autem avocata uxore Schulenborgici diruit arcem et cives adigit in fidem suam. Schulenborgicus quoque igne et fumo molestatus quarto die dedidit sese. Hoc pacto in Ducum Pomeraniae potestatem rediit Garcium, quod circiter annos novem possederat Marchio. His peractis Wartislaus contendit Vierradium illudque recuperat ac Stettinensibus mandat, ut praesidium imponant. His ipsis temporibus Bugislaus se coniungit Wartislawo, simulque obsident et capiunt Loicknitium. Hoc sane tempore multo maiora praestitissent, nisi Wartislaus male coepisset laborare, quare dimissus est exercitus.

Statim post haec Magnus, Dux Megapolensis, in uxorem ducit Sophiam, Bugislai sororem. Nuptiarum solennitas indicta fuit in oppidum Anclinum, quibus nuptiis interfuerunt Balthasar, Dux Megapolensis, sponsi frater, Wartislaus et Bugislaus, Duces Pomeraniae, Iohannes, Dux inferioris Saxoniae, et Ludovicus, postulatus Caminensis atque Dominus de Neugard, duo etiam Comites Reppinenses cum coniugibus suis. Diebus aliquot postea Wartislaus, quem diximus aegrotare, multo gravius laborare coepit, quare versus Barthiam est ductus. Venit post haec Albertus Marchio magna vi militum, obsidet et capit Vierradium, quod facile potuit fieri; debebant enim Stettinenses in eo oppido collocare praesidium, sed id non fecerant.

Deinde contendit Garcium, quod eum capere non posset, inde petit Loicknitium illudque deditione capit ac revertitur; capit Banovium et moenia diruit. Postea capit Sacium et Bernstein, nemo enim ei resistebat; nam cum Wartislaus aegrotaret nec haberet prolem, suaserunt Pomerani Bugislawo, ne cum Marchione congrederetur.

Obiit Wartislaus a. 1478 ipso die Luciae. Fuit autem acris defensor suorum atque ditionem suam ita a latronibus vindicavit, quod dixerit ad rusticos, ut ipsi modo custodiam agerent iumentorum, nam se eos a latronibus liberaturum. O vox iusto Principe digna. Ac quia nullos reliquit heredes masculos, ad unum Bugislaum omnis ditio quatuor Principatum concedit. Is enim solus possedit Stettinum, Pomeraniam, Cassubiam, Wandaliam, Rugiam, Gutzkovium, Butovium et Lovenburgam.

Bugislaus mortuo Wartislawo XIII., patruo suo, inducias petit a Marchione usque ad diem Iohannis Baptista. Interea recipit in fidem suam Sundenses, Gripswoldenses, Wolgastenses, Deminenses, Ukermundenses et alios, qui Wartislawo subiecti fuerant.

Composita autem est controversia inter Bugislaum et Marchionem a. 1479 die visitationis Mariae his conditionibus, ut Bugislaus teneat Garcium et recipiat Sacium, Marchio vero teneat Loicknitium, Vierradium et Bernstein; ordines etiam Ducatus Stettinensis ac totius Pomeraniae Marchionem satis caveant de successione hereditaria ac ad confirmandum

foedus Albertus Marchio tradat Bugislae in matrimonium Margaretham, Friederici Marchionis Electoris filiam. Sic inter Pomeranos et Marchiones firma constituta est pax. Hoc etiam tempore Ludovicus postulatus Comes de Eberstein et Dominus de Neugard resignavit episcopatum Caminensem, noluit enim esse religiosus. Mittit igitur Papa Sixtus Marinum Bohemum¹²⁾ eumque episcopum creat. Hunc suscepit Bugislaus haud dubie in gratiam Papae totusque episcopatus homagium ei praestat exceptis Corlinensibus et Gultz(e)oviensibus, qui certis de causis in potestate memorati Comitis manserunt. Bugislaus renovat cum Marino et episcopatu priores transactiones, ita ut obligarent se episcopus et cleri, non se creaturos episcopum aut canonicum nisi consentiente Bugislae tanquam patrono eiusque heredibus, nec Ducibus Pomeraniae in tuenda ditione defuturos; e diverso Bugislaus et eius heredes, se fore eorum defensores et tutores.

Bugislaus auxilio et consilio Wernerii de Schulenborg, Consiliarii, et Georgii Kleist, Cancellarii sui, aulam et politiam bene disponit ac dat Schulenburgico praeturam et civitatem Pencun. Inde tam potens factus, ut Bugislae sedecim, interdum etiam viginti equis inservire potuerit. A. 1480 cives Coslinenses expugnant domum Zanoviensem, propterea quod in ea esse credebant, qui mercatores Coslinenses spoliassent. Indignis etiam modis per errorem tractant Bugislaum, qui tum in eadem domo erat. Sed intercedentibus Marino episcopo et canonicis delicti sui veniam consequuntur.

Balthasar, Dux Megapolensis, ambit Margaretham, Bugislai sororem, quae ei quoque despondet. Nuptiae autem celebratae sunt Anclinii in praesentia multorum Principum et Dominorum a. 1482. Dos fuit 6000 aureorum, quod ideo commemorare volui, ut videas, quantum interea dos aucta sit.

Supra diximus, matrem Bugislai ablatis secum gazis Erici regis aufugisse Dantisum. Hanc intercedente rege Poloniae suscepit Bugislaus in gratiam eique condonat omnia a. 1485 ac ut honestius se sustentare possit, tradit ei agrum Stolpensem.

A. 1486 Bugislaus despondet Anclinii Catharinam, sororem suam, Henrico Brunsvicensi. Dos fuit 8000 aureorum. Adduxit etiam Henrico in castra mille equites ad confidendum bellum, quod gerebat adversus Brunsvicenses et Hildeshemenses. Sed intercedente Bugislae pax inter eos constituta est. Fuit autem Catharina Henrici Brunsvicensis coniux praestanti corpore et pulchra facie, quae genuit ei Henricum Franciscum, episcopum Mindensem, Ericum, canonicum, Wilhelmum, Catharinam, coniugem Magni, Ducis Luneburgensis, et Elisabetham. Ab Henrico deinde nati sunt Carolus, Philippus et Iulius, qui patri successit et adhuc in vivis est. Nam Carolus et Philippus in Saxonia perierunt in horribili pugna cum Alberto Marchione commissa apud Visurgim fluvium a. 1553.

Eodem anno 1486 mortem obiit Albertus Marchio Elector, cui successit Iohannes filius. Is a Bugislae postulat renovationem foederum, sed id abnuit Bugislaus eius rei causas ostendens. Inde magnum inter eos dissidium est ortum.

Per hoc tempus dissensio fuit inter Stargardenses et Sundenses, propterea quod Sundenses mulctarint Thomam Parchen, consulem Stargardensem, eique simul et aliis civibus multa abstulerint bona. Verissimum autem est illud poetae: At vindicta bonum quoque vita dulcissimum nihil.¹³⁾ Quare ut Stargardenses par pari referrent, capiunt Doctorem Zabell, consulem

¹²⁾ Kantzovius, cuius verba Chel. vulgo brevius, raro pauculis adiectis, latine reddit, hoc loco rectius Marinum dixerat einen Wasen Italum de Fregeno cf. Barth. IV., 1, 424. ¹³⁾ Verba Juven. 13, 180 sunt: At vindicta bonum vita iucundius ipsa.

Sundensem, qui causa videndi ad eos venit, eumque coniiciunt in carcerem. Sed interveniente Bugislao res componitur a. 1487.

Eodem anno appetente tempore, quo fruges erant in agris equorum futura pabula, Magnus et Balthasar, Duces Megapolenses, magno instructu obsident Rostochium propter excitatum in urbe tumultum. Bugislaus autem belli se socium adiungit obsidionem faciens de sua parte ad Orientem, Duces Megapolenses ex Wernoviae latere ad portam Nicolai et per reliqua imminebant. Continuatur aliquamdiu obsidio et iam ceterae civitates contractant cum Principibus, si qua compositionis forma reperiretur; sed nihil tum potuit inveniri, quo Principes placarentur. Continuatur aliquamdiu obsidio, quam Duces demum sponte solvunt.

Omnia satis feliciter succedebant Bugislao, praeterquam quod Marchionissa nullam ei procrearet sobolem. Culpa transferebatur in Doctorem Franciscum (ap. Kantz. Fritz), medicum, quare captus et Ukermundi fame necatus est.

His de causis Bugislaus foedera hereditaria renovare cum Iohanne Marchione noluit, quod gravissime tulit Marchio existimans, se adversando multum effecturum. Ac in primis irascebatur Schulenburgico, sed is non magni faciebat. Inde Bugislaus sibi tradi postulat Vierradium, Loicknitium, Klempnovium et Torgelovium, aut armis se ea occupaturum denunciat. Sed bellum gerere omnino recusat Marchio, sciebat enim Bugislaum sibi parem, nec aere alieno onustum esse propter bella a maioribus gesta.

A. 1488 Bugislaus ingentem insequitur cervum usque in pagum Leipgard, non procul ab Ukermundo situm. Sed cum in coemiterio canes detinerent cervum et Bugislaus descendenter equo et arrepto venabulo cervum caperet, cornu petit eum, ut pulmo eius consiperetur. Tum impositus curru vehitur Ukermundium. Accersuntur illico Anclinienses, Pasewalcenses et Stettinenses chirurgi primarii. Hi mundificant vulnus, ut magnitudinem eius reprehendere illudque affigere possint. Supervenient etiam medicinae doctores, qui de adhibenda medicina consultant. Quia vero letale erat vulnus, omnes in Pomerania dolebant atque lugebant. Ac cum scriptum sit: Invoca me in die tribulationis et eripiam te, ideo passim in templis toto pectore invocant Deum, ne stirpem illustrium Ducum Pomeraniae delere velit, nec quidem irrita eorum precatio fuit.

Nunciatum est Marchioni de obitu Bugislai. Sed cum huic famae non haberet fidem, mittit ad Bugislaum legatos suos, qui, si adhuc viveret, in viserent et consolarentur eum, sed in effectu, quemadmodum existimatum fuit, ut cognoscerent, an mortuus aut spes vitae amplius esset. Cum legati se audiri petunt, illico suboluit, quid velint, eosque reiecit, valde enim tum aegrotabat. Sed tandem virum se praestitit et accenso igne in camino, ut ab eo rubesceret, indutus pretiosis vestibus et erectus sedens in sella, quasi recte valuisse, legatos accersi iussit. Qui cum Marchionis nomine multam ei salutem precarentur et demonstrarent, Marchionem ex animo dolere infortunium eius atque missos esse ad consolandum eum. Ad ea non inito consilio cum Consiliariis placide et amice respondet, se agere gratias cognato et affini suo pro amica salutatione sua et dolore, quem ex infortunio suo ceperit. Sed renuncient ei, se beneficio Dei adhuc vivere nec quiequam periculi esse q. d. Non succedet yobis, ut nuncietis, me modo mortuum aut iam moriturum esse, atque ita dimisit eos.

Sed cum maiora viribus praestitisset, adeo graviter laborare coepit, ut de eius vita dubitaretur. Venit igitur Marchionissa, coniux eius, ut yideret, quomodo valeret et dolorem suum declararet. Sed Bugislaus aversas habuit aures. Moerore igitur confecta obiit Margaretha, Bugislai coniux, sequenti anno, qui fuit 1489. Bugislaus autem animum recepit et melius haberet sensit. Itaque audacius cum eo egerunt medici, ut finito mense revaluerit.

Pervenerat etiam rumor de morte Bugislai in Poloniam. Mittit igitur Casimirus, Poloniae rex, amplissimam legationem in Pomeraniam, ut occuparent duas praefecturas, Butovium et Lowenburgam. Sed legati de vita Bugislai, qui tum erat Ukermundii, certiores facti adeunt eum. Profecti autem sunt in Pomerania per Svenum fluvium traientes circiter quinquaginta milliaria, ubi multas inclitas urbes et arces conspexerunt, ut Sundium, Gripswaldum etc. nec crediderant, Pomeraniam tam amplam et fertilem provinciam esse. Videntes ingentem Bugislai staturam et audientes sapientem eius sermonem admirati sunt. Tandem exponunt, quid in mandatis haberent. Sed cum ostenderet, se iure tenere Butovium et Lowenburgam et diceret, se eas praeturas regi ita tradere non posse, non urgebant magnopere negotium. Verum mortua nuper Bugislai coniuge potius cogitarunt, quomodo eum et regem affinitatis vinculo coniungerent. Ac inter cetera commemorant, regem pulchras admodum habere filias, quodsi harum unam sibi uxorem peteret, regem haud dubie eam ultro desponsaturum. Haec non ingrata erant Bugislao, sciebat enim, maiorum suorum connubia cum Poloniis semper fuisse fausta et felicia. Respondet igitur, se adhuc in luctu esse, nec de his in praesentiarum quicquam certi decerni posse, sed totum negotium Deo, in cuius manu sunt omnia, committendum esse, atque ita legatos multis muneribus dimittit.

A. 1491 die purificationis Mariae Bugislaus in matrimonium ducit Annam, Casimiri III., regis Poloniae, filiam. Nuptiae celebratae sunt Stettini, quibus interfuerunt Henricus, Dux Brunsvicensis, Duces Saxoniae, Magnus, Dux Megapolensis, et alii insuper Principes et Domini cum Ducisis suis, item mater et soror Bugislai. Dos fuit 32,000 aureorum Ungaricorum, euius dotis loco deputavit coniugi 74,000 aureos Ungaricos seque insuper quotannis 10,000 aureos Ungaricos soluturum promisit.¹³⁾ Interfuit etiam his nuptiis Bernhardus Moltzahn, eques auratus, homo elato animo praeditus, cui Bugislaus propter iniuriam Deminensibus illatam irascebatur. Quem etsi admonebat, ut ab incepto desisteret, alias futurum, ut eius domum diriucret, tamen is susque deque ferebat. Habebat enim in finibus Megapolensis arcem munitissimam, quae Ducibus Megapolensis erat infensissima. Ac audiente Magno, Duce Megapolensi, quod diceret Bugislaus, se eversurum domum Moltzahns, incitat eum et frigidam, quod aiunt, suffundit inquiens: Domime affinis, tunna cerevisiae certemus, an id facturus. Moleste hoc tulit Bugislaus, sed nihil asperius reiiciens, quam hoc: Sive certemus tunna cerevisiae sive tunna auri, plus minusve tamen fiet, quod dixi me facturum. His nihil movebatur Moltzahn nec destitit a proposito, sed munivit arcem suam tormentis. Bugislaus igitur convocatis Sundensibus, Gripswaldensibus, Ancliniensibus et Deminensibus obsecrit arcem et tormentis valde concutit. Sed Moltzahn moenibus tam firmis flocei pendit. Tandem tamen relicta arce noctu aufugit. Quare Bugislaus tormentis arcem oppugnat, militem immittit et eam capit. Quae res non ingrata fuit Ducibus Megapolensis. Postea Bugislaus frequenter Stettini cum aula egit. Inde multo frequentior est urbs redditia quam antea fuit.

Natus Georgius I. a. 1493 die II. Aprilis: Stettinenses absente Bugislao fecerant statutum, ne quis civium ad Bugislaum, sed ad Magdeburgenses appellaret eo, quod iure Magdeburgensi uterentur. Unus ex Wussoviis familia principis loco fungitur apud Stettinenses officio praetoris, quem apud eos habitare necesse est. Voluerunt igitur, ut Wussoviis, si accusaretur, coram scabinis se sisteret. Multum etiam damni dederant, quod monetam

¹³⁾ Ch. hoc loco ut alias haud dubie genuinam Kantzovii Pomeraniam IV. libris conscriptam secutus est, sed parum recte darvor insuper vertit.

novam, quam Finkenou appellarunt, ex cupro fecerant. Iniuste quoque possidere stagnum Dammense habitи sunt. Supra haec omnia valde indignatus est Bugislaus atque habita deliberatione cum ordinibus punire Stettinenses constituit. Sed intercedente Wernerо Schulenburgico et ceteris Consiliariis res composita est his conditionibus, ut Stettinenses abrogarent statutum appellationis et a proposito desisterent, Bugislao traderent stagnum Dammense atque, quod non praesidium imposuerant oppido Vierraden, numerarent Duci annuatim 101 $\frac{1}{2}$ marcas.

Bugislaus in primis curavit publica commoda, nam paulisper levato malleo, quod auri nova pondera poscebant, novum instituit eudere numisma,¹⁴⁾ Bierfen, Witten und Schillinge. Ac iussit, ut civitates ad eundem modum seu valorem euderent monetam posthabita veteri moneta, quae Finkenou dicitur. Ita in quartam partem adiectum est tributum Principum. Nam qui antea dedit tres veteres aut Stettinenses marcas, quod facit tres aurei partes, is inde usque tres novas aut Sundenses marcas dedit, quod facit quatuor marcas aut unum aureum. Res procul dubio magni momenti. Intelligunt enim, quid amiserint, qui annuos census vel Principis in tributis vel privati haberent in redditu. Sic rebus comparatis cum numismate et omnis mercatura et successus in quaestu singulorum decesserant invisibiliter decrescentibus de manu, quae antea tenebantur. Exteri enim emebant omnia parvo pretio in his regionibus et vendebant alibi in triplum. Integras et medias marcae partes de puro auro etiam curavit cudi. Sed improbi mercatores, ne dicam peculatores de numismate mercem fecerunt devehentes, ubi in conflatorio ipsi sua lucra cum publico detimento facerent.

Alta mente adhuc repostum manebat dissidium inter Iohannem Marchionem et Bugislaum de cavenda successione hereditaria. Bugislaus enim id facere recusavit, nisi ei Marchio traderet Vierradium, Loicknitzium, Klempnovium et Torgelovium. Etsi id Schulenburgicus impedire videbatur, tamen dixit, se armis ea recuperaturum. Quare Marchio transigit cum Bugislao ita, ut is teneret Vierradium, Bugislao vero traderet Klempnovium et Torgelovium. Ob id Bugislaus simulque ordines et civitates caverunt Marchioni de successione. Ac ita firma pax inter Pomeranos et Marchionem constituta est, quae beneficio Dei in hodiernum diem duravit.

De latronibus grave sumpsit supplicium, et aufugientibus omnia ademit bona, aut devastavit ea, ut, quod in hac regione insolitum erat, summa itinerum esset securitas. In seriis deliberationibus vocavit primarios ex ordinibus, item Episcopum et Canonicum Caminensem, Comites, Abbates, Comptores, equites auratos et Praefectos, saepe etiam Consules ex primariis civitatibus.

Plerumque habuit duodecim tibicines cum duobus tympanistis, item organistas, fidicines et omnis generis musicos.

Legatis Principum et Comitum placidas aures praebuit, hilarem vultum non negavit deditque pro re et tempore responsa. Ita eos dimisit, ut miraculo prudentiae eius pleni abiarent. Fuit in iurisdictione iustus et clemens Princeps, ad quem tam faciles privatorum hominum aditus tamque liberae querimoniae fuerunt, ut ipse saepe simulato cultu homines plebeios et rusticos invitaret, ut si quid iniuriae a dominis inferretur, audacter detegerent. Hac ratione multa saepe expiscatus est de regionis statu, quae ipsius scire intererat. Ferunt enim, cum Stettini exiret templo Divae Mariae virginis et videret multos ante aedes Schulen-

¹⁴⁾ De numorum ratione a Bugislao melius constituta consulas quae a Klempnio in Diplom. collect. p. 581 sqq. optime et diligentissime disputata sunt; cf. etiam Fockii hist. Rug.-Pom. V. p. 417 sqq.

burgici stantes, quaesivisse, quid rerum ibi agerent. Qui cum dicerent, eis quaedam expedienda esse coram Celsitudine sua et ob id Schulenburgicum convenire velle, animo commoto respondisse dicitur, cur non ipsum convenienter; nam se adhuc reieccisse neminem eosque in aulam subsequi iussisse. Multa sunt ab eo celebrata torneamenta seu ludi militares, ut nobilitatem in officio contineret et laudis praeconio ad virtutis semitam, qua gradui suo responderent, inclinaret. Sed nimis longum foret, si egregia huius Principis facta et res gestas pro dignitate enumerare vellem.

Nullius fere magis nota et celebrata est historia et profectio¹⁵⁾, quam Bugislai. Is enim sopita omni discordia et conciliatis animis vicinorum ac in gubernatione confirmatus Ierosolymam religionis causa, ut tum erat consuetudo, proficisciendi animum adiecit. Ac cum ipse ingentis staturalis, robustis et valentibus membris Princeps esset, tales etiam sibi ministros ex tota Pomerania delegit, sicut ibi sunt procera et pulchra corpora. Nec tantum praecipuos, verum etiam stabularios et homines infimos voluit sibi eligi grandes. Equis igitur trecentis pulchre ornatis a. 1496 die 18. Decembris iter hoc feliciter ingreditur, ita ut, quounque transiret, omnium in se oculos et admirationem converteret. Norimbergae per aliquot hebdomadas commoratus est et in bacchanalibus heroicis factis se exercuit, ut sonant versus Christiani Kalen.

Tempus erat, quo festa Dei celebrantur Iacchi
Bacchicus et late saevit ubique furor,
Quo quasi per ludum celebrantur equiria circo
Et studium armata fervet equestre manu.
Hoc quoque certamen magna Dux laude subibat
Otentans animi robora celsa sui.
Instruxit fluido convivia splendida luxu
Et proceres urbis iussit adesse frequens.
Quid? quod ab his iterum saepe est conviva vocatus,
Non fuit illi unquam rursus adesse grave.
Atque ita notitiam cum patribus inchoat arctam,
Quae stetit in seros illabefacta dies.

Hinc Bugislaus contendit Wormatiam, inde Oenipontem, ubi tum erat Maximilianus I. Caesar. Cum autem rumor increbuit, Bugislaum non procul esse a porta, protinus obventare parat Ericus Brunsicensis eumque excipit. Ubi Bugislaao cum Caesare colloquendi copia data est, orat, ut (veniam) tam longum faciendi iter permittat. Bugislaum igitur comitantur et vale dicunt Maximilianus Caesar, Friedericus et Iohannes, Saxoniae Duces, atque Ericus Brunsicensis.

Venetias in vigiliis Martialis veniens aptari classem et retinacula solvi die Pentecostes curat. Sed cum inde solvisset ultimo die Iunii 1497 et a Corfun versus Candien navigaret, incidit in piratas Turcas, qui novem actuariis navibus in eius unam irruentes tela confertim iaciebant, ut hanc deprimere vel abducere possent. Ibi animis opus erat et pectore firmo. Bugislaus ipse inter primos fortissime se defendit arrepto assere pro scuto, cum inermes tanquam religionis causa navigarent. Ibi multorum telis, quae plura grandine cadebant, ita obruitur, ut clipeo suo tela quatuordecim ipse excepit.

¹⁵⁾ In itinere Bugislai describendo Chel. verbis fere Lagi p. 19 utitur, ita tamen, ut Venetiis patricios a Bug. invitatos, in pugna piratica ad preces periclitantium dei auxilium contra Mahometanos missum, Venetiis post redditum comoediam in Bugislaif honorem a patriciorum filii actam omittat, Norimbergae versus poetae et alias nomina quaedam de suis addiderit; cf. praeterea quae de huius itineris descriptione Boehmerus in edit. Kantz. p. 293 sqq. accurate disputat ibique Dalmarianam eius enarrationem p. 300 sqq.

Bugislaum vero singulari certamine conficere expetivit Turca quidam vasto et barbaro corpore, cui cum magnam plagam gladio incussisset, ut de navi concideret in mare, ille tamen nando ad suas naves venit ac reversus denuo recurrit in Bugislaum. Quare eum iterum tali ietu propellit, ut secundo revolutus concideret. Nihilominus Turca non desistit, sed redit tertio ferocior et sibi unum Principem depositum, in quem irruat. Tanta autem vi in ipsum insilit Bugislaus, ut in ipsius corpore atque armis gladium confringeret. Tum circumspiciens, cum celeri remedio opus esset, nec alium haberet gladium (non enim ut bellatores eo per venerant), nec quisquam in ea rerum facie suo gladio carere posset, forte videt ingens verutum, quod coquus ad ignem cum pullis aliquot assandis collocarat. Hoc cum pullis arrepto infigit Turcae in medium ventrem et praecipitem et moribundum magna vi et indignatione deturbat et conficit. Postea deturbat, dissipat, profligit, confudit proximum quemque obvium, ut magnus timor adversarios incesseret.

Sed cum esset adhuc innumera multitudo Turcarum, qui ferociter instabant eosque duriter premebant, quidam dirigit telum recta in corpus Bugislai, dum incautius et vehementius pugnat. Itaque illum oppressisset Turca, nisi unus ex ministris homo nobilis, Christophorus Polenzon, cum animadverteret periculum Principis, obiecisset sese telumque suo corpore excepisset. Tanto amore Bugislaum prosecuti sunt sui, ut pro ipsius incolumente mortem oppetere non dubitarint. Ita discedentibus Turcis in navi Bugislai quindecies centum eiaculaata a Turcis tela reperta sunt praeter illa, quae passim plurima in mari fluitabant, unde ipsorum multitudo facile cognosci potest. Tum iter inceptum urgent et demum pervenient incolumes, quo volebant ad Ierosolimatana Eripi.

Ubi cum omnia cognovissent et loca sacra perlustrassent, oblatis suis muneribus reversi sunt Venetias. Ostendit ibi Bugislaus et munificentiam et magnitudinem animi sui. Veneti omnes, quos poterant honores, cumulatim in eum contulerunt atque ei ostenderunt thesauros urbis, aurum, marmor, gemmas. Inter quae cum vidisset unicornu tanquam *κερατίον* (sic) ostentari, subiit ipsi integrum unicornu Rugenwaldii in Templo suspensum esse, quod antea sibi notum non fuerat. Confestim igitur hoc auferri et reponi inter ea, quae habebat carissima, mandavit.

In eodem itinere etiam Romae a Pontifice Alexandro VI. et Oeniponte a Maximiliano I. Caesare Bugislae magni honores habiti sunt. Pontifex enim galerum, capitis gestamen, multis pretiosis gemmis insigne et ensem auratum, Maximilianus vero chlamidem insignem purpura et auro rigentem ei donat. Ac cum eum tam praestantem admiraretur Caesar, magno animi ardore cupiit ipsum Principem videre hastis cominus cum aliquo concurrentem. Itaque ad hoc ipsum certamen eum invitat et hastam per Friedericum, Ducem Saxoniae, afferri curat. Quod etsi Bugislaus primum modestiae causa recusaret, urgente tamen Imperatore concurrit cum eo, quem sibi adversarium elegerant. Hunc equo tanto deiicit turbine, ut ille quasi fulmine ictus una cum equo per magnum spatium deturbatus pervolveretur. Imperator vero ob tantae virtutis admirationem eum magis suspiciens pretiosam ei coronam utpote victori donat et auream catenam ipsius collo circumdat. Tum petit Caesar, ut Bugislaus sibi operam navaret in bellis, quibus tum implicitus fuit, eiusque belli dux esset.

Ita omnia feliciter ubique cesserunt Bugislae ac rediit Stettinum a. 1498 die Iovis post Palmarum. Sed integrum huius profectionis historiam non describo, quod de hac peculiaria et erudita modo scripta extet.

A. 1499 feria quarta Pentecostes expugnata est Banovia a Georgio Schlabberndorff,

Magistro Sunnenburgensi, propter iniuriam Doctori Bernhardo Rhor, Commendatori, illatam feria 6 ante Pentecosten.

A. 1501 die 3. Decembr. natus est Barnimus X.

A. 1503 inter Bugislaum et Stettinenses extitit dissidium, cuius auctor fuit Iohannes Ramel, Minister Principis. Nam cum is hospiti suo vim intulisset, a senatu incarceratus est, ac cum eundem Stettinenses tradere Bugislao nollent, interdixit ex omni ditione sua in eam urbem frugum et omnium rerum advectionem. Sed controversia componitur, cum dimitterent captivum et traderent Princi unam partem plateae, in qua postea aedificavit novam domum numeratis insuper Princi 1500 aureis.

Eodem anno die 23. Augusti obiit Ukermundii Anna, Bugislai coniux, et Elenovii sepulta. Ea genuit Georgium, Casimirum et Barnimum, Annam et Sophiam. Bugislaus cum in suae ditionis praecipuam urbem Sundensem ex multo tempore collectam foveret indignationem, erupit a. 1504, ut interdiceret illi advehi commeatum nec pateretur cives libere per terram diversari. Pertaesi rerum cives media bruma ad diem Antonii hostilia nunciant Principi et literas, ut vocant, diffidationis mittunt. Mox armati Rugiam ingrediuntur et rusticum populum in sua verba iurare cogunt. Quod ubi Bugislaus audit, iusto dolore tangitur et grave bellum parat. Sed interveniunt Duces Megapolenses et fit conventus Rostochii. Ibi in longum retexuntur iniuriae. Ne autem frustra conventum sit, placuit, ut e scripto informentur animi Principum mediatorum. Videbatur quidem convenisse, sed cum iam literae recessus essent concipiendae, ibi labor, ibi contradictio sine fine. Vix in diem novissimum, cum ad abitum omnes starent parati, convenit, ut pax redderetur urbi.

A. 1512 Georgius, Bugislai filius, in uxorem dicit Ameliam Palatinam.

Bugislaus negligit politiam. Itaque multa in eius ditione exercentur latrocinia; omnes enim licentia fiunt deteriores. Sub hoc tempus orta est controversia inter Bugislaum et Wulfgangum, Comitem de Eberstein, Coadiutorem Caminensem, sed reconciliati sunt, ac Bugislaus tradidit Comiti oppidum Massow.

Natus est Philippus I. a. 1515 die 15 Iulii seu die Margarethae.

A. 1521 proficiscitur Wormatiam et accusat Ioachimum, Marchionem Electorem, multis de causis deque non traditis literis. Sed illico domum revertitur et ad bellum se parat. Pax vero inter eos constituitur.

Natus est Bugislaus a. 1454 die 24. Maii. Moritur autem a. 1523 viribus tam integris, ut nunquam decubuerit, sed eundo et stando ac negotia confiendo sensim animam, quasi obdormisset, exhalavit.

Epitaphium Bugislai XI, Ducis Pomeraniae.

Sic ego magnanimus processi tectus in hostem,
Suspensum quasi cernis in aere virum.
Ac ne quis coram simuletur nescius, adsum
Bugslavus, placido qui loquor haec animo.
Terrarum quicquid proavi tenuere verendi,
Hoc simul ac solus sub ditione premo.
Quique putatur honor vulgo Mavortia semper
Arma, meo ductu prospera sumta leges.

Coniugium binum; sobolem pia fata dedere
 Non nisi postremae, quae patre Rege fuit.
 Hic mihi visuntur graviore Georgius aevo
 Barnimusque puer, Anna quoque et Sophia.
 Cetera quae nostro descendit sanguine proles,
 Conditur in tumulo non procul inde meo.
 Religione Deum monitis discriminis magno
 Conspxi Solymas anteferendus avis.
 Denique restitui natis subsellia regni
 Romani, genitor excidit unde bonus.
 Cumque nihil forti suetum non cedere dextrae,
 Mors inimica tamen cedere non voluit.
 Scilicet invictum praestat contra omnia fata.
 Hoc pereunt Reges, Principes hoc populi.
 Robur, amicitias, genus, otia, ludicia, risus,
 Ultima dissolvet cuncta futura dies.
 At qui ferventi servat sub pectore Christum,
 Huic mors ad vitam ianua, lector, adest.
 Posuerunt fortissimo Patri non absimiles charissimi filii Georgius et Barnimus, Principes
 Stettinenses.

Aliud Epitaphium Ducis Bugislai, quod recens Dux Barnimus Patri suo posuit.

Haec ut imago viri fulgens radiantibus armis
 Signat, Daedalea rite parata manu.
 Sic oculos, faciem, pectus, sic ora ferebat,
 Sic armis fulsit pro grege bella gerens.
 Bugslaus, Pomeranorum fortissimus Heros,
 Ille pater patriae, fama decusque sua.
 Prima thori consors huic Margaris, edita claro
 Stemmate Marchiaeo, nescia prolis erat.
 Anna secunda fuit coniux, quae rege Polono
 Edita sex thalami pignora chara tulit.
 Barnimus iunior, graviore Georgius aevo,
 Filius at mediis Dux Casimirus erat.
 Anna et prima fuit, sed postera filia Elissa,
 Tertia quae Sophia est nomine dicta pio.
 Ex his Barnimus, qui condidit haec monumenta,
 Nunc superest, reliquos haec tegit urna Duces.

De Georgio et Barnimo.

Bugislao¹⁶⁾ succedunt filii, Georgius I. et Barnimus X. His primariae civitates propter telonia et vectigalia, quae Bugislaus a Maximiliano Imperatore impetrarāt, homagium praestare recusarunt. Sigismundus, Poloniae Rex, Dantiscanis propter eorum rebellionem inferre bellum constituit. Is vero opem a Georgio, Duce Pomeraniae, nepote ex sorore, petiit, qui et Dantiscum trecentis equitibus venit. Sed propter huius praesentiam controversia ante regis adventum composita est a. 1526 in mense Martio. — Hoc etiam tempore Sigismundus tradidit Georgio et Barnimo fratribus duas praeturas, quae oppigneratae fuerunt, Butovium et Lowenburgam, ita tamen, ne Sigismundus eis persolveret 12,000 aureos Ungaricos, quos nondum numerarat de dote Annae sororis, uxoris Bugislai. — Amelia, coniux Georgii, moritur et sepelitur Stettini a. 1526. — A. 1527 Georgius in venatione privat se oculo, dum lorum solveret. — A. 1529 multi sudore Anglo in Pomerania et finitimis regionibus extinti sunt. — A. 1530 ipso die purificationis Mariae despondetur Georgio Marchionissa. Congregantur Georgius et Barnimus cum Ioachimo, Marchione Electore, primum Guterbuckii, deinde Pragae et Rensburgae, ut de petendo a Caesare feudo et renovatione foederum agant; sed constitui nihil potuit. Quare omnia ad bellum spectare videbantur. Postea tamen intercedente Henrico Brunsvicensi res direpta est pactionibus ita, ut Duces Pomeraniae in conventu Augustano a. 1530 d. 26 Iul. a Carolo V. Imperatore inaugurationem petierint ac Marchioni caverint de successione hereditaria. A. 1531 Barnimum de foedere sollicitant Protestantes, quibus respondet, amare se doctrinam evangelii nec abhorrere foedus inire, sed penes Georgium, fratrem natu maiorem, summam rerum adhuc esse totam. Claruit Georgius non tam armis, quam pace. Fuit enim alioqui bonus et salutaris Princeps, in cuius gubernatione incidit mutatio religionis. Et quamvis doctrinae Lutheri iniquior est habitus, tamen nihil quicquam asperius contra eos, qui amplexi sunt hanc doctrinam, fecit. Natus est Georgius a. 1493 die 2. Aprilis ac obiit 1531 die Martis post Cantate anno aetatis suae 38 relichto unico filio Philippo.

De Philippo.

A. 1534 grassata est pestis in Pomerania. — A. 1536 Dominica Esto mihi Philippus in uxorem dicit Mariam, Ducas Iohannis Friederici, Electoris Saxonie, sororem. Celebrantur nuptiae magna pompa in oppido Torgou. — Transactio divisionis Pomeraniae inter Barnimum et Philippum facta est Stettini a. 1540 die 8. Febr. Barnimo cessit Stettinum, Star-gardia, Stolpium, Slagium, Griffenberga, Treptovium, Pyritia, Rugenwaldum, Garcium, Wollinum, Golnovium, Belgardium, Caminum, Damm, Lowenburgum, Stettinum novum et Butovium. Philippo vero cessit Stralsundum, Gripswaldum, Barthia, Griffenhagium, Anclonium, Deminum, Pasewalcum, Tribbesees, Loitzium, Usedomia, Treptovium, Ukermundium,

¹⁶⁾ In sequentibus, ubi Chelopoeus Lagi et Kantzovii libris magis magisque destitutus est, praeter notulas quasdam singulis annis adscriptas et epitaphia Ducum, quae ut foedus inter reges Daniae et Sueciae ad ius commercii constituendum cum Lubecensibus a. 1570 Stettini ictum ipse Stettini inspicere potuit, gravioris momenti, si descriptionem morum Principum exceperis, vix quidquam invenies. Non tamen sine delectatione quadam eum, quae ipse suo tempore hac in regione et hac in urbe vel vidit vel audivit vel, ut erat Melanthonis discipulus, de coelo servavit, annualium scriptoris more narrantem legimus. Ut autem Ch. in itinere Bugislai enarrando praeter Lagum etiam Kitscheri tragicomedia de Hierosolymitana profectio a. 1501 Lipsiae et Christiani Kalen historia de profectio in terram sanctam ill. princ. Bogislai X. Witeb. 1555 edita usus videtur, ita de reliquis Pomer. Ducibus non defuerunt libelli quidam illo ipso tempore conscripti, quos inspicere potuit; cf. Oelrichs Laud. memoriam Princ. Pom. p. 22 sqq. De epitaphiis vide Crameri chron. eccles., Chyraei Saxoniam all., cf. Oelrichs. de Pom. ducum Rugiaeque princ. sepulcris a. 1759.

Wolgastum et Grimmen, Rugia insula et domus Wildenbruch. — Eodem a. die 13. Febr. natus est Georgius II. — Eodem quoque anno messe siliginea circiter horam quartam pomidianam subito orta est tempestas, ventus validissimus; ceciderunt tum turres duorum templorum in Stargardia.

A. 1541 die 5. Iulii Philippus a Carolo V. Imperatore suae ditionis inaugurationem Regensburgae pro more petiti. — Natus est Iohannes Friedericus a. 1542 die 27. Aug.; Bugislaus a. 1544 die 9. Aug.; Ernestus Ludovicus a. 1545 die 2. Novembbris.

A. 1545 maxima et inaudita fuit annonae caritas, ita ut ante messem, et quidem circa diem Iohannis Baptiste, modius siliginis thalero et modius tritici similiter thalero, modius vero hordei 24 grossis et modius avenae 20 grossis Marchiacis in his regionibus emtus sit. Eodem vero anno peracta messe tanta laxatio annonae benignitate Dei facta est, ut modius siliginis item hordei et avenae quatuor tantum grossis Marchiacis sive drachmate, modius vero tritici octo grossis emeretur. — Natus est Barnimus XI. a. 1549 die 14 Febr. — Eodem a. tanta fuit penuria lupuli, ut modius duodecim grossis venditus sit. Eodem quoque anno grasa est pestis in Pomerania et vicinis regionibus. — A. 1551 igne periit praecipua domus in aula Stettinensi. Sub hoc tempus a Barnimo X. iacta sunt fundamenta domus ante Stettinum in eo loco, ubi Carthusium antea fuit, nunc mutato nomine Oderburg appellatur.

A. 1556 cometes in Germania, Italia et Gallia visus est. In Pomerania quidem circa tertium diem Martii. Cursus eius fuit per Virginem et Draconem, qui radiantem caudam portenderat inter meridiem et occidentem. Cometas autem plerumque comitantur horrenda bella, aut magnorum heroum interitus, aut imperiorum ruinae et id genus alia, ut verissimum sit illud Camerarii: οὐδεὶς κορύτης οὐ κακὸν φέρει. Et Claudianus inquit: Nunquam sine tristi eventu in coelo cometam conspectum. Proximo igitur sequenti anno mortuus est Caesar Carolus V., item Christianus, Rex Daniae, et Regis uxor in Anglia. — Natus est Casimirus IX. a. 1557 die 22. Martii.

A. 1558 circiter sextum diem mensis Augusti iterum cometes visus est et supra tropicum canceri non procul a coluro distingente aquinoctia locum longitudinis non mutavit, sed obtinuit in Virgine. Hi duo cometae brevi temporis spatio illuxerunt non quidem sine clade orientis et septentrionis. Nam illis partibus minari videbantur. Fuerunt etiam haud dubie praenuncii non tantum magnorum heroum et praestantium virorum, Caesaris Caroli V., Christiani, Regis Daniae, Philippi, Ducis Pomeraniae, Doctoris Iohannis Bugenhagii, Philippi Melanchthonis, M. Pauli de Rhoda et aliorum plurimorum interitus, verum etiam tristium bellorum et multarum calamitatum.

A. 1560 die 14. mensis Februarii magno suorum luctu morbo nunc confectus moritur Philippus, Dux Pomeraniae, qui natus est a. 1515 et educatus in aula Ludovici, Palatini Electoris. Reliquit filios Iohannem Friedericum, Bugislaum, Ernestum Ludovicum, Barnimum et Casimirum. Georgius enim natu maximus, similiter Ericus modo ex hac vita discesserant. Filias reliquit tres, Ameliam, Mariam et Annam. Quibus aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi longa vitae spatia ad nominis sui gloriam et harum provinciarum salutem concedere velit.

Fuit autem Philippus bonus, iustus et pius Princeps. Universam ecclesiae doctrinam didicit eamque toto pectore amavit atque in sua ditione doceri curavit. Cognitionem doctrinae et lectione et audiendis concessionibus aluit et fidem confirmavit, ac nomen Christi coram Romano Imperatore confessus est. Academiam Gripswaldensem collapsam et prope extinctam instauravit et stipendiis largiter auxit. Paedagogium Stettini una cum Barnimo, patruo suo, instituit a. 1543. Librum de ritibus ecclesiasticis primum a Doctore Iohanne Bugenhagio

conscriptum renovari curavit omniaque in eo comprehensa servari mandavit. Pacificus et amans pacis Princeps fuit. Tametsi enim nulla fere regio in tota Germania expers et immunis a bello fuit, tamen eo direxit consilia et actiones suas, ut et ipse et sui in pace viverent. In omnibus certe inquirebat pacem; saepe etiam petulantiam suorum potius pati quam potestate et gladio uti voluit seque promissione Christi consolatus est: Beati mites, quoniam possidebunt terram. Itaque filios suos ad concordiam et pacis studium pridie ante obitum adhortatus est. Patriam ea iustitia rexit et gubernavit, ut a nullo culpari possit. Mendacia et obtrectationes odio habuit. Non oneravit subditos expilationibus, nec eis imposuit onera, sed tributis et proventibus suis contentus fuit. In iudicandis causis adeo sollicitus fuit, ut existimaret, se statim periturum, si aliquem iniuste premi permetteret; semper enim in fere rendis sententiis Dei iudicium in conspectu habuit, se de omnibus, quae decernerentur, rationem redditurum esse. Magna virtus est castitas et Deo grata. Quod cum sciret, ipse non solum castitatem valde amavit et coniugem suam dilexit, verum etiam scortatores et adulteros ex animo odit et in eos graviter animadvertisit. Vera obedientia et mutua στοργή Barnimum patrum dilexit et ita se erga eum semper gessit, ut nusquam inter eos dissensio aut simultas orta sit. Tam egregiis et excellentibus virtutibus optimus hic Princeps praeditus fuit. Sed non instituo hic integrum virtutum eius narrationem. Ac cum sciret cognitionem literarum et ad religionis conservationem et politicam gubernationem esse necessariam, filios summa diligentia erudiri curavit eosque ad discenda studia adhortatus est, ne eos semper aliorum consilio uti oporteat, et, ut mutuum inter se amorem tuerentur, paterne monuit.

De Barnimo seniore et Philippi quinque filiis.

Mortuo Philippo obtinent iam Pomeraniae Principatum Barnimus senior et Philippi filii: Iohannes Friedericus, Bugislaus, Ernestus Ludovicus, Barnimus iunior et Casimirus, agnati et fratres.

Ipse Deus iungat, iunctum Deus ipse secundet
Connubium, multa denique prole beet,
Ne genus hoc Gryphum generoso a sanguine cretum
Concidat, aut regnet post aliena Domus.

A. 1562 controversia est orta inter Iohannem, Marchionem Brandenburgicum, et senatum Stettinensem propter nova a Marchione instituta telonia et vectigalia, quibus se gravari Stettinenses conquesti sunt. Quare a senatu lege cautum est, ne quis Stettinensium navibus merces in Marchiam adportaret. Sed Ioachimus et Iohannes, fratres Marchiones, die decimo nono mensis Iulii vulgato edicto mandarunt suis, ne quis post Laurentii diem cum Stettinensibus (eo quod non solum contra ius scriptum et ius gentium, verum etiam contra sacri Rom. Imperii constitutionem atque foedera Marchiacae et Pomeranicae domus egerint, ac navigabilem Oderae amnem prohibuerint) negotiaretur, nec eis quisquam terra aut aqua adferret aut aveheret ab eis quicquam. Eodem vero anno circiter diem Martini inter Marchiones et Principes Pomeraniae transactio facta est, ut Marchitae et Pomerani emant et vendant in posterum sicut hactenus consueverunt.

A. 1563 Muscovita incursionem fecit in Poloniā et obsedit Poloczkow, civitatem Lituaniae, eamque cepit, sed a Rege Poloniae sequenti anno repulsus est. Eodem a. ortum est bellum inter Friedericum, Regem Daniae, et Ericum, Regem Sveciae, quod nunc in octavum durat annum. — Eodem quoque a. Ericus, Dux Brunsvicensis, conscribit exercitum et

exacta maxima pecuniae summa ab episcopis praeter omnem expectationem transit magno agmine, nimirum erectis signis septendecim peditum et uno signo equitum, Mechelburgam, Marchiam et Pomeraniam. Quae res magnam trepidationem atque terrorem omnibus attulit, maximeque quod non exponeret, quo tenderet et quid in animo haberet. Principes Pomeraniae suis mandant, ut in armis parati sint, quandoeunque vocentur. Proinde Stettinenses, Stargardenses et Pyricenses continuo delectum seorsim habent. Die 22. mensis Augusti Stargardenses ex mandato Ducis Barnimi mittunt Stettinum 250 pedites et Pyricenses mittunt Garcium versus 150 pedites. Eodem die Ericus Brunsvicensis recta via proficiscitur Stettinum et petit a Barnimo transitum, quem difficillime impetrat. Ac positis in urbe praesidiis ductus est totus exercitus per portam S. Spiritus et per portam pontis versus Damm, ubi extra oppidum castra locavit. Commeatum illuc et alibi mitti iubet Barnimus. Vespera autem facta Stargardenses, quos diximus Stettinum venisse, navem ingrediuntur et domum redeunt. Mane diei sequentis, quae fuit 23. Aug., castra movet Ericus et Golnovium venit ibique per biduum commoratus contendit Griffenbergam, Coslinum et Stolpium, ac tandem pervenit ad Vistulam fluvium. Hunc transire fortiter impedivit Albertus, Dux Borussiae. Die 11. Septembr. Barnimus dat literas ad suos, Ericum non militare Regi Poloniae, nam huic militare multi persuasum sibi habebant, ac cum a Dantiscanis transitum impetrare non possit, reverti constituisse. Mandat igitur, ut quoque tempore parati sint in armis et veniant, quo vocentur, ac defendant patriam. Ad 18. diem Septembr. nobiles eis Oderam et Inaum sedem habentes simulque Stettinensium equites, Stargardensium, Pyricensium, Garcensium et Golnoviensium equites et pedites iussu Principis Barnimi in agro Stargardensium cum aliquot tormentis convenient. Equites, quorum quingenti fuerunt, missi sunt, ut observarent milites Erici, ne Pomeranis molesti essent aut alicui damnum inferrent. Pyricensium vero pedites Garcium missi sunt. Die 24. Septembr. Ericus Brunsvicensis venit Griffenhagum et mane diei sequentis transit Oderam magno quidem desiderio suorum militum. Die 26. Septembr. venit Prentzlovium et extra oppidum castra locat. Sed ipse erat cum equitibus in oppido. Nocte vero media adsunt Marchionis, Pomeranorum et Megapolensium Principum equites et pedites, ut Erici exercitum fundant. Sed paulo ante admoniti castra incenderunt et fugam dederunt. Hic fuit exitus Erici exercitus, quem per tot ditiones erectis signis duxit. Creditur ideo has conscripsisse copias, ut eas in Sueciam duceret.

A. 1563 Ernestus Ludovicus et Barnimus iunior iactis primis rudimentis Gripswaldii conferunt se urgendorum studiorum causa ad academiam Witebergensem, cuius rectores successive fuerunt. — A. 1564 die 21. Sept. obiit in monasterio Colbatz ibique sepulta est Sibylla, Ducis Barnimi senioris filia, cuius epitaphium subiecimus.

Inclita Barnimi de sanguine nata Sibylla

Moesta sub hoc tumulo templa quietis habet.

Cuius avus Solymam studio pietatis ad urbem

Inque Palaestini limina venit agri.

At genitor placida populos in pace gubernans

Haec loca divinis cultibus apta dedit.

Ipsa Dei verbum constanti mente professa

Fovit et audivit religionis opus.

Insigni facie priscis aequanda Deabus

Dignaque perpetuos vivere virgo dies.

Vix ter octenos vivere compleverat annos,

Langida cum sensu deficiente cadit.

Nunc, postquam domino vitae placide obdormivit,

Conspicit aeternum non moritura Deum.

Eodem anno in multis Pomeraniae oppidis grassata est pestis, in primis vero Stolpii, Coslini, Stettini, Stargardiae, Dammii. A. 1565 in mense Septembr. Iohannes Marchio praecepit suis, ut parati in armis essent, ac rumor increbuit, eum missurum in oppida sua equites et pedites et postea obsessorum arcem aut Domum Wildenbruch. Quare Principes Pomeraniae, ad quos ea domus spectat, Pyritiae et Griffenhagii praesidia collocant, ut ei fortiter resistant. Oportet enim Principem propter vim hostium repellendam ad arma capessenda non ignavum esse. Sed nihil a Marchione tentatum est, quare fama aut inanis fuit, aut promptitudo Ducum Pomeraniae ab incepto eum deterruit. Eodem anno et mense Iohannes Fridericus se contulit in aulam Maximiliani Caesaris. — In mense Octobri Pyritiae grassari coepit pestis eaque desiit sequenti anno in mense Novembri. Mortui autem sunt ibi circiter 1100 homines. — A. 1566 Iohannes Fridericus militavit Caesari adversus Turcam, christianaे religionis hostem; imperii vexillifer fuit strenueque pugnavit. Ex quo bello camelos et mulos Turcae creptos abduxit aliaque victoriae et fortitudinis signa habet. — A. 1566 circiter Margarethaе diem Ernestus Ludovicus et Barnimus fratres urgendorum studiorum causa profecti sunt in Galliam ac Parisiis operam literis dederunt. Hinc extant versus:

Qui varios hominum mores multasque celebres

Viderunt urbes, oppida, regna, scholas.

Avocati autem sunt a Doctore Bernhardo Macht a. 1567 in Aprili. — A. 1567 in mense Augusto et Septembri Griffenhagenses primum, deinde Pasewalcenses, Ukermundenses, Anclinienses, Loitcenses, Deminenses, Treptovienses, Tribbeseesenses, Barthenses, Sundenses, Grimmenses et Wolgastenses homagium praestiterunt Iohanni Friderico, Bugislao, Ernesto Ludovico, Barnimo et Casimiro fratribus. A. 1568 mense Maii Stettinum venit Barnimus iunior in aulam Barnimi senioris, agnati sui. Eodem a. die 6. Novembr. hora noctis octava obiit Anna Luneburgensis, Barnimi X. coniux, sepulta est autem Stettini in templo Ottonis die 12. Novembr. hora 8. antemeridiana habitis concionibus in omnibus ulterioris Pomeraniae civitatibus. Epitaphium eius sequitur:

Quam cernis tumulo illatam de more cavato,

Barnimi Coniunx Principis, Anna, fuit.

Quae Brunsvicensi prisco de stemmate surgens

Est Luneburgiaceae portio clara domus.

Religionis amans, pietatis sedula cultrix

Inque inopes fuerat larga et amica parens.

Illi nil fuerat prius aut antiquius unquam,

Quam Christi monitis invigilare sacris,

His ut iustitiae, fidei sibi fulera pararet,

Sterneret ad coeli regna beata viam.

Sex moriens annos et bis sex (?) lustra peregit.

Hic vitae cursus, terminus ille fuit.

Nupta quaterdenos et quatuor insuper annos

Vixit et in mundum pignora sena tulit.

Ista nunc placide sub mole sepulta quiescit,

Corpus inane solum, spiritus astra tulit.

A. 1568 mense Novembri et Decembri simulque Ianuario et Februario sequentis anni rigi-

dissima fuit bruma, ut multi frigore mortui, aut auribus manibus pedibusque constringerentur. Ipso autem die Matthiae laxatio frigoris facta est. — Cum autem Barnimus circiter annos quinquaginta Ducatui Stettinensi et ulteriori Pomeraniae pacifice et feliciter praefuisset, ultro et sponte offert suam terram agnatis suis, Iohanni Friderico, Bugislao, Ernesto Ludovico, Barnimo et Casimiro fratribus, ut deposita gubernatione in senectute sua, quae ad animae salutem pertinent, eo melius curare posset. Sed hi propter aetatem iuvenilem et rerum difficultatem onus administrationis in se suscipere non posse praetendunt ac monent agnatum et tutorem, ut propter usum rerum admirabilem ditioni suae amplius praesit; nam ei nulla in re, si opus foret, defuturos esse. Sed perstat in sententia et tradit eis in conventu, qui celebratus est Iulini a. 1569 die 23. Maii terram suam, ita tamen ut inspectio penes se sit et proventus monasteriorum Colbatz et Belbuck, item monasteriorum Virginum ante Stettinum et Pyritiam, similiter et novae Domus Adersborg sibi maneant; nec homagium eo vivente deponatur, nec quisquam exactionibus et novis impositionibus gravetur. Ac cum antiquo privilegio cautum sit, ne hae ditiones in plures, quam in duas dividantur, nimirum in Stettinensem et Wolgastensem ditionem, ita convenit inter fratres Principes, ut Iohannes Fridericus et eius heredes possideant Ducatum Stettinensem et ulteriorem Pomeraniam ea conditione ac lege, ut Barnimus iunior proventus Domus Rugenwaldensis habeat; Ernestus Ludovicus vero administrationem Ducatus Wolgastensis seu anterioris Pomeraniae subeat, exceptis aliquot praeturis et proventibus, quos Bugislau sibi reservare voluit. Quod ad Casimirum attinet, sic constitutum est, ut is certos reditus habeat ad continuanda et urgenda studia cum pollicitatione, Iohannem Fridericum fratrem, quando resignabit episcopatum, daturum operam, ut sibi succedat. Non longo temporis intervallo post Iohannes Fridericus ambit Erdmuth, Iohannis Georgii, Marchionis Brandenburgici Electoris, filiam.

A. 1570 die 8. Ian. Ioachimus Fridericus, Marchio, dicit in uxorem Catharinam, Iohannis Marchionis filiam. Nuptiis interfuerunt Augustus Saxo cum coniuge, Iohannes Georgius, sponsi pater, Georgius Fridericus, Marchio Ansbachicus, cum coniuge, Iohannes Fridericus, Dux Pomeraniae, Ludovicus, Comes de Eberstein, ac insuper multi alii Comites et Ducissae. Est autem hoc in primis memorabile de Iohanne Friderico, quod arae imposuerit Ioachimicos decem. Hoc enim vere est Principum, pietatem cum liberalitate erga ministerium exercere. — Ortum est bellum, ut supra docuimus, inter Fridericum, Regem Daniae, sociosque Lubecenses et inter Ericum, Sveciae Regem. Ex hoc autem bello, quod duravit annos septem, non solum Romanum Imperium, verum etiam alias nationes omnes multum ceperunt detrimenti. Quare ex Maximiliani Caesaris mandato primo die Iulii a. 1570 Stettini convenient Iohannes Fridericus, Dux Pomeraniae, Ioachimus, Comes de Weissenkirch et Passow, Christophorus Carlevitius et Caspar Menquitius. Nomine autem Regis Franciae adest Carolus Dancoenus. Poloniae Regis loco Martinus Cramerus, Coadiutor Episcopatus Heilsburgici, Iohannes Demetrius Solikousky et Stephanus Loitz. Electoris Augusti nomine Ludovicus, Comes de Eberstein, et Ericus Voltkmarus. Misit etiam illuc Daniae Rex legatos suos, Petrum Bild, Henricum Rantzo, Georgium Rosenerantz, Dr. Ioachimum Hineke et Nicolaum Caass. Sveciae vero Rex misit Nicolaum Guldenstern, Cancellarium, Georgium Geram, Baronem, Benedictum Gilte, Ericum Guldenstern, equitem auratum, et Dr. Bartholomeum Rademannum; Lubecenses miserunt Hieron. Lunenborg, Christophorum Todt, Dr. Calixtum Schein et Frider. Knebel, senatores, Christophorum Messerschmid, secretarium. Post multam autem et variam ac prope semestrem disceptationem composita res est inter reges quidem his conditionibus, ut belli sumtus, quos alter alteri propter non servatum foedus

Bremsebrovianum imponere volebat, ab utraque parte tollantur. Propter insignia trium coronarum amplius non suscipiatur bellum, sed uterque rex iisdem utatur, donec controversia a designatis arbitrariis iudicibus, Caesare, Electore Saxoniae et Iulio, Duce Brunsvicensi, Electore Brandenburgico et Comite Palatino Georgio Iohanne diiudicetur. Fines inter Hollandiam, Schonam, Bleckingen et Sveciam atque inter ambo regna Sveciam et Norwegiam incorrupti maneant, uti hactenus fuerunt; captivi ab utraque parte dimittantur sine mulcta. Rex Daniae restituat Regi Sveciae Domum Elsburg cum nobilitate et aliis pertinentibus et omne tormentum instructum, quod occupata nunc domo accepit. Sveciae vero rex e contra restituat Regi Daniae Iempterlandium et Herdalen cum ereptis navibus ac dependat Regi Daniae centum quinquaginta aureorum millia, propterea quod ei gratificatus sit nee hostiliter egit, cum regnum Sveciae inter se dissideret et Rex Iohannes fratri succederet, nec non propter restitutas naves cum tormento. Ecclesiastica iurisdictio Iempterlandiana sit in posterum penes Regis Daniae praefectos. Ac quia Caesar directum dominium habet in provincia Livoniana, ideo Rex Sveciae restituat Rom. Imperio, quae hactenus possedit in ea provincia, numeratis tamen Regi prius expensis et reservato Regi Poloniae iure, quod habet in urbem Revelensem et alia quaedam loca. Navigatio in Sveciam et Russiam atque Narvam versus sit Danis, Norwegis aliquisque Regis Daniae subditis sicuti et vicissim Regis Sveciae subditis in Dаниam et Norwegiam atque per Orsund in eum tractum, qui nominatur die West-See, ut olim libera et permissa. Famosi libelli Erici Regis temporibus editi, quibus utriusque loci magistratus et subditi atroci iniuria afficiuntur, non edantur in posterum, sed penitus tollantur. Roschildiana transactio reddatur, ne errorem in posterum pariat. Hac in parte comprehenduntur Caesar, Rex Galliae, Rex Hispaniae, Rex Angliae, Rex Poloniae, Rex Sveciae, Elector Saxoniae, Elector Brandenburgicus, Comes Palatinus, Archiepiscopus Bremensis, Munster, Osnabruck et Paderborn, Georgius Iohannes, Iohannes, Iohannes Georgius, Georgius Fridericus, Marchiones Brandenburgici, Iulus, Dux Brunsvicensis, Dux Iulicensis et Clevensis, Wilhelmus, Dux Luneburgicus, omnes Duces Pomeraniae, Franciscus, Dux Saxonie et Lawenburg, Albertus Fridericus Dux Prussiae, omnes Marchiones Badenses, Iohannes Albertus, Ulricus, Christophorus et Carolus, Duces Megapolenses, omnes Duces Slesvicenses et Holsteinenses, Gotthardus, Dux Curlandiae, Etzhardus, Comes Ostfrieslandiae, Civitas Lubecensis. His vero conditionibus Lubecenses cum Rege Sveciae pacisuntur. Privilegia olim a Gustavo Rege data Lubecensibus certo modo et concepta forma a Rege Sveciae confirmantur. Rex Sveciae 75,000 thaleros dependat Lubecensibus pro aere alieno, pro merce naufragio amissa et pro detentis bonis, quae vel Narvam versus vecta vel inde avecta sunt. Regis subditi persolvant Lubecensibus, quae liquida sunt. Debita, quae a Svecis Rex postulavit et in Cameram venerunt, suppuntur, ut creditoribus suis tradantur. E diverso senatus Lubecensis tradat regi omnes obligationes vel per literas, sigilla et chirographa factas a Rege Gustavo, Erico et Iohanne, Lubecenses et Revelenses invicem restituant detentas naves et bona. Permissum et liberum sit Lubecensibus, ut antea, navigare in Sveciam et Russiam, item versus Narvam, Revel, Wiburg, non tamen suspecta merce, sicut et vicissim Svecis in Dаниam, Norwegiam impedita et per Orsund in eum tractum, qui nominatur die West-See, ibique negotiari, ut antea. Huius tamen navigationis certus modus praescribatur a Caesare et constituantur. Captivi dimittantur sine mulcta. Transactio Roschildiana reddatur, ne pariat errorem. Acta haec sunt ipso die Luciae Stettini a. a nato Christo 1570.

Pluviosus hic annus omnino fuit. Nulla enim fere dies in aestate et autumno elapsa est, in qua non plueret. Hinc tanta aquarum copia facta est, ut agger Stettinensis magna ex parte corrumperetur. Magna autem annonae caritas peracta modo messe orta est et duravit

in sequentem annum; modius enim silihinis 24 grossis Marchiacis, sicut et modius hordei et tritici emtus est. Fuit et Antorffii primo Novembris die inaudita maris exundatio, quae diruit niros et abstulit bona mercatorum. Acceptum damnum aestimatur ultra 50,000 aureos. Submersa etiam sunt circa Antorffium oppidula et pagi octodecim, in quibus simul perierunt circiter 5000 homines et 1400 pecora. Subsequens hiems prorsus aspera erat omniaque nive eanebant. Ac cum in eo tractu, ubi oppidum Pyritia situm, nix praeter consuetudinem esset diuturna, perierunt animalia quaeque. In mense vero Martio haec nix magnam reddidit aquarum copiam, quae non modo in littore maris, verum etiam in locis mediterraneis multum damni dedit. Agger enim Stettinensis prorsus in nihilum est redactus. Notum est etiam, quantum damni Garcenses, Griffenhagenses, Golnovienses, Stargardenses, Pyricenses et insuper alii perpessi sunt. Quare semidiluvium fuisse merito quis diceret.

A. 1571 mane Ianuarii die tertio Ioachimus, Marchio Elector, subito moritur in arce sua, quae est in oppido Koepernicio et decimo post eum die frater Iohannes, cum aliquando decubuissest aegrotus. In fine vero mensis Martii Iohannes Georgius in suam fidem suscipit nobiles et civitates in Nova Marchia. Venit tum Iohannes Fridericus, Dux Pomeraniae, Arnswaldii ad Iohannem Georgium, Marchionem Electorem; aderat et ibi Georgius Fridericus, Marchio Ansbachicus. — Finita messe non facta est relaxatio annonae, immo maior caritas fuit. Modius enim silihinis et tritici similiter thalero, modius hordei triginta grossis Marchiacis et modius avenae dimidio thalero emtus est. Haec annonae caritas duravit per sequentes annos tres annum 1572, 1573 et 1574. — A. 1572 rigidissima et diutissima fuit hiems; laxatio enim frigoris facta est octavo die Martii ac cessavit nocturnum frigus die 25. Martii atque tunc adhuc undique glacies fuit. — Francofurtenses re et corpore arrestant et morantur Stettinenses in nundinis, quae celebrantur Dominica Reminiscere, propterea quod eis liberam navigationem per Oderam permittere nolunt. — In principio mensis Maii valde multae fuerunt locustae, in quo mense et magna fuit siccitas et aestus. — In mense Julio moritur Sigismundus Augustus, Poloniae Rex. — Die 18. Sept. Bugislaus dicit in uxorem Claram, Francisci Ducis Brunsvicensis et Luneburgensis filiam, Bernhardi, Ducis Anhaltini, relictam. Nuptiae sunt celebratae Campii, quibus interfuerunt Iohannes Fridericus, Ernestus Ludovicus. — Octobri mense Iohannes Georgius Marchio lege cavit, ne quis suorum afferat quicquam Stettinensibus vel ab iis quicquam avehat. — Primo die Novembr. incipit frigus et durat usque ad nonum diem Februarii 1573.

Eodem a. 1573 die 16. Novembr. cometa comatus aut crinitus circiter 6 gradum Tauri ultra quatuor menses visus est. Quo apparente obiit Iohannes Wilhelmus, Dux Saxonie. Hic autem cometa denotat nobis magnam annonae caritatem et pestem bellaque gravissima.

A. 1573 in mense Julio Iohannes Fridericus adit Caesarem. A Francofurtensi autem vulgo indigne quidem excipitur et tractatur. In mense Augusto electus Rex Poloniae in finibus Pomeraniae conscribit milites; idem faciunt Dantiscani suamque urbem muniunt. Hi milites in Novembri et Decembri dimittuntur. Die 18. Decembris Georgius Fridericus, Marchio Ansbachicus, venit Pyritiam et transit Pomeraniam ac abit in Prussiam.

Die 2. Novembr. in puncto horae duodecimae pomeridianae moritur Barnimus, cognomento Pius, atque die 13 eiusdem mensis Stettini in templo Mariae magno subditorum omnium luctu sepelitur. Fuit religione, pietate et iustitia clarissimus. Evangelii doctrinam, quam ex ore et libris Lutheri Wittebergae didicit, constanter amplexus est et incorruptam retinuit. Nullae enim corruptelae in ullo fidei articulo sparsae, nec ulla inter concionatores dissidia sunt orta. Erga pauperes fuit liberalis, ob id largis a Deo donatus opibus, bona pace

quievit. Habuit semper in honore literas literatosque viros. Non vehemens ac ferox, sed clemens et humilis; moderatio vitae tum publicae tum privatae tanta fuit, ut merito Pii cognomentum adeptus ac Pater patriae appellatus sit. Ab ambitione alienissimus semperque quietis et pacis amantissimus. Quare etsi bellis undique strepentibus, ipse tamen solus in pace vixit. Suo contentus fuit, nec avaritia subditos suos, quantum tempora concederent, durioribus expilationibus oneravit. Quapropter ab omnibus merito dilectus est magnumque hominibus sui reliquit desiderium. Quis enim Principem tam beneficum et pacificum iustumque amare atque vitam pro eo amittere non vellet. — Sequitur eius epitaphium¹⁷⁾.

Hac Pomeranorum Dux fortis et inclitus heros,

Barnimus senior, contumulatus humo est.

Qui mox a teneris imbutus voce Lutheri

Sinecrae didicit religionis opus.

Nam tum, cum primum coepit pugnare Lutherus,

Leucoreae subiit culta Lycea scholae.

Totius et vitae decursu tempore ab illo

Sincera coluit religione Deum.

Pectore mansueto populos in pace gubernans

Exemplum studuit Principis esse boni.

Contentus propriis aliis aliena reliquit,

Obtinuit rursus quaeque fuere sua.

Ius dixit cunctis habito discrimine nullo,

Patronum expertus dives inopsque parem.

Quatuor atque decem cum vitae lustra peregit,

Extremum magno clausit honore diem.

In Novembri ex Prussia revertitur Dux Iulicensis et Clevensis atque transit Pomeraniam.

A. 1574 Maximilianus Caesar permittit ac literis confirmat, ut Nova Marchia, terra Sternenberga, Comitatus Vierradensis et Domus Loicknitzia ad Iohannem Fridericum et eius heredes mortuis Marchionibus Brandenburgicis sine prole devolvatur. Die 11. Februarii Sigismundus Augustus, Rex Poloniae, sepelitur Cracoviae; die vero 18. Febr. electus Rex ibidem coronatur.

In mense Februario, Martio, Aprili et Maio multi passim laborant, non pauci etiam moriuntur febri ardenti, quam veteres et graeci καῦσον vocant. In mense Iunio Iohannes

¹⁷⁾ Qui epitaphiorum a Chelopoeo allatorum poetae fuerint, quamquam Sibyllae laudationem a Thoma Witstochio, Rugenwaldensis ecclesiae pastore a. 1578 Stettini mortuo, conscriptam esse Cramerus in chron. eccl. III. p. 182 tradit, vix expediri potest. Mos, quem a maioribus traditum non mediocriter a Melanthone excultum, a discipulis eius pervulgatum esse credas, tunc omnibus probatus et acceptus fuit, ut viri docti cum alias res et gravioris et levioris momenti, tum laudes mortuorum latinis versibus ornarent, quibus laudibus deinde scriptores in rebus gestis moribusque enarrandis incautius velut puro historiae fonte usi sunt. Quid? quod apud Kantzovium eiusmodi elogia (Übergrebnüsse) etiam Germanicis versibus, nescio an ab ipso auctore vel a Nicolao Klempzenio, non ineleganter composita iam inde ab a. 1136 antiquissimis Pomeraniae Ducibus adscripta legimus, quorum numerum in cosmographia Cosmi ab Simmern pluribus auctum invenies. Vetus, quantum video, eiusmodi elogium de Duce Barnimo III. a. 1368 mortuo conscriptum (Ille ego, cui multum tota haec Pomerania debet sqq.) Bugenhagius in Pomer. p. 157 a Iohanne ab Osten, iuvene bonae spei praematura morte suis et literis abrepto, forte repertum sibique missum esse scribit, cum contra Kantzovius, quippe qui nihil pia ista fraude offenderetur, parum accurate hoc epigramma ab ipso illo iuvene confectum dicat. Quamquam etiam vetustius elogium de Swantipolco III., anterioris Pomeraniae Duce a. 1266 Dantisci mortuo, ab Olivensis monasterii monachis traditum extat apud Cram. chron. eccl. II. p. 42, qui simul latinum carmen Germanicis versibus reddit.

Fridericus resignat episcopatum; succedit autem Casimirus frater, cui in fine mensis Octobris praestatur homagium praesentibus Iohanne Friderico, Ernesto Ludovico et Barnimo fratribus.

A. 1575 Iohannes Fridericus a nobilitate et civitatibus accipit homagium et primum quidem a Garcensibus die 25. Ianuarii, deinde a Pyricensibus die 27. Ian., a Stargardensibus vero primo die Februarii et deinde a reliquis civitatibus, Dammensis et Stettinensis.

